







NED

2349



R-79340

24-3

74 m

628

~~24-3~~

~~8-10~~

F.A.064

K00001533319



BEST QUALITY
BOSTON
PRINTERS

COPYRIGHT

EXCLUSIVE

TO VENICE

ORIENTAL

OPERA

1861

M V I V O T A P
IVSTO LIPSIOS

SECVLI NOSTRI VARRONI,
PENES QVEM ORBIS CONSENSVS
LITTERARVM PRINCIPATVM ESSE VOLVIT,
STVDIORVM MEORVM THALETI,
CVIVS DVCTV AVSPICIOQ. FAMÆ VIAM
INGRESSVS SVM,
EPISTOLARVM PROMVLSIDEM

ERYCIVS PVTEANVS

LIBENS MERITO LIBO:
EX OFFICIO, EX ANIMO; QVIA DEBEO, QVIA
CVPIO:

INCERTVM VTRVM MAGIS;
CVM ET DEBERE CVPIAM,
VT ACCEPISSE BENEFICIVM VIDEAR,
ET CVPERE DEBEAM,
VT GRATVS ACCEPISSE.

TV VERO MEVS THALES, SECVLI VARRO,
QVOD DEBEO, CAPE, QVIA CVPIO;
QVOD CVPIO, CAPE, QVIA DEBEO:

ET MACTVS HOC GVSTV INFERIO ESTO.

MEDIOLANI, PRID. KAL. QVINCT.

oo. 10. 61.

(::) 2 PRAELO-

PRÆLOQUIVM AD LECTOREM.



Nomini genere scriptionis,
amice Lector, quæ & ab
Antiquis accepimus, & Po-
steri seculis damus, nihil ra-
rius EPISTOLIS est: quarum
tam gloria difficilis, quam
fertilis, imò necessarius usus. An quia laudem
non habet, profiteri, quod quisque agit, & in
cōmuni velle conatu eminere? Suspicio. nam
ut Sermo, ad omnes omnino homines, ita
quoque EPISTOLA spectat: & ipsa, Ser-
mo; id est, animi in amœnis seriiisq; index
& vindex, sed inter absentes. in Sermone au-
tē pro laude invidiam aufert, qui præpostero
quodam laudis obtentu, non ut loquatur lo-
quitur, sed ut laudetur. Quid verbis velitor?
EPISTOLAS aio, per hanc quidem caussam, li-
cere & usui scribere, & famæ edere; præsertim
siquid sermone melius habet. Ut locutio pu-
blica, sic scriptio est, fateor: & tamen in utrā-
que laudis præmia sunt, si quis elegātor, do-
ctior, prudentior. Sed editio ostentationem
prodit. Ratione, an Exemplo me defendam?
Illa supereft, nec hoc omnino deest: nisi scri-
ptores omnes, omneq; litterarum genus am-
bitionis damnes. Divitias, si errore seculi ad
pompam

P R A E L O Q V I V M A D L E C T O R E M .

pompam vertimus, id minùs tibi liceat, quia
ē mari eas habes, communi Elemento; quām
mihi, quia ex herediolo aut privato agro?
Haud opinor. Pariter fas mihi è publico & E-
P I S T O L A R I campo nomen querere: ut tibi è
privato & umbratico dogmate aliquo aut
commento. in primis, si Exemplum habeam:
quod habeo, nec recenseo: quod habeo, & se-
quor. an reprehendas, quòd recétes E P I S T O-
L A S , & ab ipso velut calamo calentes profe-
ro? Cur autem sene&tuti seponam ? Nihil in-
teresse scio, vulges, dum scribis; an protrahas,
si non emendas: quæ E P I S T O L A lex est. Bre-
viter: præcoces illos fructus præstat in mensâ
positos, quām ex arbore pendulos habere, ne
frustra præcoces. Tu verò si faves Lector, læ-
tari debes, quòd publicus tibi fiam, & sic fiā;
imò si non faves : non doctrinæ tantùm, sed
morum quoque syngraphum inspecturus.
Ferè enim animi simulacrum quisque & ima-
ginem, epistolam scribit. Ego fructum etiam
utrobique capiam, si fayebis, imò si non fave-
bis: constantiam è laude, si faveris ; emenda-
tionem è judicio, si non faveris ; imò verò si
maximè faveris, id est, si non suppresseris cen-
suram. Assyrii olim ægrotos in compitis ex-
ponebant, ut remedium & salutem inveni-
rent: pariter E P I S T O L A S has meas P R O M V L-
S I D I S titulo produco & expono, è multis ali-

(.:.) 3

quas,

PRÆLOQUIVM AD LECT.

quas , quas in peregrinatione istâ triennali
scripsi sparsim , & misi . EPISTOLAS inquam ,
& in iis me ipsum : nec ut videar tantum , sed
corrigar . Num ut te quoque videam , atque
corrigam ? Habet certè hoc censura , ut mu-
tuum admittat : & qui jus sibi in scripta mo-
resq; alienos sumit , suorum faciat ; ut contrâ
qui facit , sumit . Non sumo : videbor , non vi-
debo ; corrigar , non corrigam , uti ætatem &
institutionem meam decet . lubens utrumq; ,
& à te , qui utrumque doctus . Tu igitur talis ,
vide , & corrige : tu non talis , tâtum vide . quid
autem ? sermones , risus , jocos , animi mei se-
creta ; sed mei : ne amicorum quoque famam
productam in judicium putas . Tu ille , oble-
ctare , siquid amœniùs à me scriptum : tu hic ,
formare , siquid severius expressum . Veram e-
nim , si animum advortis , fabulam spectas ; &
vivam imaginem mei , non in scenâ , sed in ta-
bellâ representatam ; nec fictum argumentū ,
sed ex occasione natum . Si consideraveris , si-
ne longiori Prologo favorem tuum naëtus
sim ; plausum , si probaveris . Have mi Lector :
& Gustatione istâ initiatus , meliores Missus
exspecta .

INDEX

PROMVLSIDIS.

A.

- Alexandro Synclitico, E-
pist. L.
Alexand. Vegontiae, xcvi.
Aloyfio Lollino, Episcopo
Belluni, LI.
Andrea Herborto, xxv.
Andrea Schotto, S.I. ix.
Antonio Clerico, LXXXI.
Arnoldo Cathio, XXXVI.
XLVIII. LXXIX.

B.

- Bernardo Cusano, XL.
C.
Camillo Trotto, XI.
Carolo Laurino, XXXV.
XLIV. LVI. LXXII. LXXX.
Cornelio Plemio. XXIV.
Cornelio Rekenario, XCIII.
Cornelio Vanderemio, IV.

E.

- Edmundo Brutio, XLII.
LXXXV.

F.

- Fabio Paulino, LXXVI.
LXXXIX.

- Federico Quinctio, LXXVIII.

- Florentio Laurino, LVI.
LXXX. G.

- Gabrieli Steydino, XIII.

- Gaspari Pinello, XXIII.
Georgio Liema verio, XLVI.
Gerardo Puteano, V.
Gulielmo Athenio, LIV. XC.
Gulielmo Barclayo, X.
Gulielmo Huysmanno, XVII.

H.

- Henrico Farnefio, XIV.
XXXVII. LXX.
Herculi Buregario. LXXXVI.
Heriberto Rosveydo, XVI.
Hier. Fabricio ab Aquapen-
dente, XXXIX.
Hieronymo Mercuriali,
LXXXVIII.
Hieronymo Septalio. XXIX.
Hippolyto Angelierio
LXVII. LXXXIV.
Huberto Audjantio, LX.
I.

- Iacobo Boene, III.
Iacobo Calderono, xxx.
Iacobo Novello. LIII.
Iacobo Resta, XCIV.
Iano Dousa, LXXV.
Iano Grutero, LXV.
Io. Bapt. Hansenio. LXIII.
LXXVII. LXXXVII.
Ioanni ab Hollandt, xxvi.
Ioanni Coto vico, XLVII.
(.:) 4 Io.

INDEX PROMVL. EPIST.

Io. Bapt. Petrejano,	LXII.	Marco Velsero,	XLI.
Io. Bapt. Sacco,	XIX. XXXI.		LXXI.
	LXVIII.	Matthaeo Sanderio,	LXXXIII.
Io. Bapt. Silvatico,	XXVII.		N.
Ioanni Bernartio,	II.	Nicolao Micaultio,	LXI.
Io. Fernandaeo Velascio, Co-		O.	
mestabili Castellæ,	XLIX.	Octavio Scalfo,	XCVI.
Io. PUTEANO Patri meo		P.	
VIII.		Petro Cantonio,	XXXIV.
Io. Vinc. Pinello,	XV.	Petro Pantino,	LIX.
	LXXXII.	Philippo de Monte,	LXXIV.
Io. Wouwero,	XCIX.	Philippo Rubenio,	LXVI.
IUSTO LIPSIO I. XII.		S.	
XXI. XXVIII. XXXVIII.		Scipioni Campo,	VII. XCV.
XLV. LVII. LXXXIII.		T.	
XCII.		Thoma Segeto,	XX. XXXIII.
		V.	
Laurentio Pignorio,	C.	Vido Mazenta,	LV.
Livino de Succa,	LXIX.	Viglio Omio.	LVIII.
Ludovico Septalio,	XXII.	Wibrando Auskeme,	XCVII.
XXIX. XLIII. LXIV. XCI.		Viro Amico.	VI. LXXV.
M.		Wolf. Theoderico Comiti Al-	
Marco Dornio.	XVIII.	tempio,	XXXII.

Hanc ERYCI PUTEANI V. C. Epistolarum PROMVL-
SIDEM dignam judico, quam non degustes, sed cupide
edas, tuumque si non expreas, saltem impleas animum.

GUILIELMVS FABRICIVS Noviomagus, Apostolicus
& Archiducalis Librorum Censor.

Cum gratia & Privilegio Serenissimorum BELGI-
CAE PRINCIPVM.

SIGNAT.
Buschere.

ERYCI PUTEANI

EPISTOLARVM PROMVLSIS.

EPISTOLA I. *Lovanium.*

IUSTO LIPSIO V.C.

Historiographo Regio.



LL E ego quietis cultor, cui in ore
& animo illud Tragici hactenus
fuit,

-----mea tellus

LARE SECRETO, tutoq; tegat;
motum & peregrinationem à pue-
ro arsi : nec voto tamen contra-
rius quòd arsi ; prudentiorum for-
tè sententiis , quòd à puero. Mo-
tum enim tranquillior quies sequitur , ut olim , cùm
Æoli feriantur satellites : deinde sine fructu peregri-
natio suscipitur ante Prudentiæ annos. Itaque mo-
tum concupivi bonæ quietis caussâ ; sed te monente
distuli , &tatis meæ caussâ. Distuli , & obsequio des-
iderium vici. Postea verò quàm accrevisse visus, tu ip-
se iter suadens , unico affatu , velut verborum attritu,
intepescentem excitasti animum , & accendisti , qua-
si numquam restinctum. Si ergo è complexu tuo di-
missus , Lares patrios (ut inde in Italianam irem) petii,
& amicos , quibus osculū debebam. Hi aspernari con-
silium meum , omnémq; lapidem movere , ne ipse me
moveré. Sed invitum cohibere , haud facile est. Caus-

A
fa nul-

sa nulla fuit, quam non prætendi: & frivolas quasque,
uti pertinaces solent: Non idem homini adolescenti
solum perpetuò premendum: non ab unius ore æta-
tem pendendum. Ut ab uno flore melsuum apes nec
sugunt, nec configunt, sed sparsim: sic eruditionem
hiuc inde hauriendam. Habere suos Italiam, Germa-
niam, Galliam præstantes doctrinâ viros, & velut
Oracula Litterarum, à quibus responsa utiliter petan-
tur. Sed quid ego alios apud te nomino? Licuissest per
hanc quidem caussam pedem non movere. Tu unus
mihi initar omnium es, qui tot unus abundas virtu-
tibus, ut omniū facile laudes exhaurias. Invitus tu hoc
audis; sed tamen cogit amor exprimere. Nam in quo
homine, post homines natos, modestia gravior? hu-
manitas sanctior? doctrina elegantior? Suada purior?
Dîs suis Achivos non privamus: & sunt alibi viri
quoque non vulgariter docti; sed fortassis, si tecum
conferendi, famâ suâ minores. Quemadmodum fa-
ces, quæ in tenebris & illuni nocte lucent, intervallo
augentur: ita, si quis remotior se ostentat, par forte-
an tibi videtur; non est: quem si in solem & diem pro-
duxeris, aut coram conspiceris, is diffusum per cali-
ginem aëris lumen amittat, & veris lineis circumscri-
ptus discernatur. Ut etiam sidera sub ortum occasum
que, maiora lucent, sed creperâ quadam luce: ita ta-
les sâpe, quos per vaporem spirantis auræ, ceu per um-
bram, noscimus atque admiramur. Tu verò Vir Clari-
ssime, quantò notior, tantò illustrior: & qui sum-
mus ubique, maior tamen conspiceris è propinquo.
Ita luces; ut te ceu Phœbum ipsum ament omnes, &
prædicent. Quæ cuncta ejusmodi sunt, ut ab omni pe-
regrinatione animum absterriisset, nisi tuo consilio
suscep-

suscepta esset. Nunc igitur (quod propitiis Vialibus sit) me accingam; & cum Mercatoribus Batavis, quos obsidio Berckana haec tenus tremorata, per Coloniam Agrippinensiū Francofurtum proficiscar. Martem vide: opidulum munitissimum ignavâ deditione captum, immoderatae nimis latitiae caussam h̄ic ubique dedit.

Non facile est aquā commoda mente pati.

Nummos h̄ic binos habes, ex iis, quos ex novis insulis Batavi contulerunt, formā & materie insolentes; pretio supra fidem vilissimos: certè, nisi copia obstet, servandos pariter, & aestimandos cum antiquis. Viris illis magnis adfui, litterasque dedi: in quorum altero priscae Poësios elegantiam, in altero reconditam sanè doctrinam, peritiamque linguarum corām admiratus sum; sed in utroque ardentissimum tui amorem: quem eundem ego profiteor. Vale. Dordraci, vi. Kal. Septemb. 15. XCVI. RICHARD OTOS fratres, BARONIVM, & SCARBERGERVM cupidè saluto.

EPISTOLA II. *Mechliniam.*

IOANNI BERNARTIO S.D.

Seriò mi BERNARTI: Laudes istas non fero, queis non minùs modestiam meam oneras, quam industriam ornas: nec quisquam aliis in me ferat, qui te modò, méque nōrit. Injurius autem mihi, imò tibi, si ferat. Nam ita conceptæ illæ elegantissimæ tuæ litteræ sunt, ut incertum, studiosior in me laudando; an modestior te ipsum fueris deprimente. Quorum utrumque aut amori aut errori adscribendum est: amori, dum talem me vis esse;

A

errori,

errori, dum esse putas, qualem describis ; imò qualis ipse es, Iuventutis nostræ Princeps. An scripta, aut amici mentiuntur ? Sed laudatus non te laudo ; ne non tam proferre judicium meum, quām referre gratiam videar. Quod verò adhortaris , ut quā occēpi ire viâ , pergam , gratum : & ego pergam, etsi nulla, infelis hujus seculi labe , præmia sunt, (carmine sententiam exprimam;)

*Virtutem solidum ratus putari
Virtuti pretium: paratus ultrò
Lubens temnere, quicquid undequaque
Offertur. Bene, cūm sat est mereri,
Non ambitur: at optimè omnium hoc fit:
Nolle sumere, cūm sat est mereri.*

Antuerpiæ , apud GABRIELEM STEYDLINVM
meum, qui te salutat. IV. Eid. Sext. 10. XCVII.

EPISTOLA III. Ruramondam.

IACOBO BONERO , V.C. Confiliario Regio.

Si lubens unquam calamum sumpsi , jam sumo , cùm ad te scribo , Clarissime Vir , & Cognate, et si nihil est quòd scribam. Sed hujusmodi quoque hæc occasio ; ut excusationem nullam admittat , nisi stilo conceptam. Occasio inquam , quam aliàs quæfvi, nec inveni : Scripsi litteras, non dedi. Tabelarii vestri hæc interdum transeunt ; sed quasi non transirent : ita festini semper , sëpe non visi. Amnium conspexi undas præcipiti & veloci cursu præterlabi , nec fisti alveo aut canali : sic isti qui galero utuntur , & epistolas perforunt , in itinere non morantur ullius caussâ , adeò non deflectunt. Aliàs , pronus ego ad scriben-

scribendum ; & peculiariter Virtute & Doctrinâ tuâ excitor : quam utramque ita conjungis & exseris in Patriæ & commune bonum , ut boni quique te ament, admirantur omnes. Nuper (havet enim animus in tuis laudibus occupari) cùm tranquillitas nostræ urbis , ac salus sub spe & metu vacillaret, tu, probo prudentiique consilio, rebus in tranquillum versis, securitatem nobis, gloriam tibi peperisti. Quanta erat omnium trepidatio! quanta consiliorum incertitudo! Sed, ut dixi, Virtutis Doctrinæque tuæ fax viam ad salutem distinxit. Virtutis, quia præluxisti; Doctrinæ, quâ præluxisti.

Quid est suavius, quām bene rem gerere bono publico?
 sicuti tu gessisti , & geris? Sed utinam vel plures FABIOS , vel tranquilliorem ipsam Belgicam habeamus ! Hoc verò rerum statu , ut bonæ artes exulant: sic remedia inde petenda. *Quis recti bonique trahit insitit ad consulendum in commune ?* Qui ne scit viam ad mare , amnem sibi comitem quærit : qui ad officiū boni civis, doctrinarum præsidium. In doctrinis tamen discriminem tramitum est: exitus idem est. Diversa sectamur; sed in eundem finem, qui est, aut esse debet, publicè prodesse. Alii Medicinam, alii Leges & Iura, alii Litteras divinas tractant. Isti, ut corpus humanum curent aut restituant. Hi, & illi , ut animum ipsum componant: idq; vel ad probam , & secundùm pios ritus atque instituta divina instituendam vitam, qui Theologi appellantur : vel ad concordiam quandam exteriorem , & politicam honestatem, qui iuris consulti titulum præferunt. Sunt deinde alia quædam honestæ notæ studia, quæ Literarum finibus clauduntur, sedata illa quidem, & à foro turbisq; remota; utilia

tamē publicè confinio quodam Sapientiæ ac Virtutis.
 Ego quidem huc deflecto, ut amœna Musarum vireta
 pererrans, eos fructus legam, qui privatim publice-
 que usui sint. Deum precor, conatum meum felicitet:
 téque V. C. nobis & Reipublicæ servet. Lovanii,
 Prid. Kal. Sext. 15. xcvi.

EPISTOLA IV. *Lovanium.*

CORNELIO VANDEREMIO S.D.

LVgduni Batavorum fui : litteras, picturasque
 sartas tectas dedi. Ultragjectum ad tuos nunc
 quoque iturio, quibus, quæ tu optaveris dicam :
 dicam autem quæ mereris. Ita naturâ comparatum
 est, ut quem ames, etiam laudare velis : ego verò mihi
 non immeritò gratulor, quòd te talem amem, quæ
 laudare etiam possim : laudem, quem non amare non
 possim. Itaque ut præconium tu meum tuâ indole ;
 sic indolem ego tuam meo præconio conabor uti æ-
 quem; & quare autem non potero, nisi ut exstimatelem.
 Harlemi GOLTZIVM invisi, amicum & popularem
 meum; qui omnem mihi illam supellectilem suam of-
 tendit. Quàm vellem adfuisse ! Obstupei & Lysippi
 æra, & Apellis colores, & Pyrgotelis cœlamina : sed
 in primis ipsum dominum, in tantis divitiis libera-
 lem : incertum, arte, an humanitate meliorem. Hisce
in locis Neptuniis Templisque turbulentis sine periculo sum:
 non item sine dolore, quem motu & peregrinatione
 excussum eo. Vale. Dordraci III. Kal. Sept. 15. xcvi.

xcvi.

EPISTOLA V. In Vbiis.

GERARDO PYTEANO, V.R.

Gentili Meo.

OMiseram urbem, quam noxius Auster tam pestilenter adflavit! Respice Deus, &

* αειχέα λοιγόν ἀμυνον.

Sed tu vivis, & vales? spero, & timeo. Quia enim non malos tantum, sed & bonos promiscue hoc malū manet: ac puniuntur qui peccarunt, & qui non peccarunt. Isti quidē quia offenderunt, hi, ne fortè offendant: isti ut offendere desinant, hi ut desinant vivere. Scimus enim longam vitam sēpe improbabē esse vitam, & acceleratam pœnam impedimentum sceleris futuri. Itaque malus quisque vitā hac indignus vivit; bonus meliori dignus: & qui meruit malum, id si accipit, supplicium sustinet; qui non meruit, præmium putat. Quare non refragemur, si nos Deus vocet: quia nec in potestate nostrā est, nolle sequi; sed est, ut purā mente, & mundatā conscientiā sequamur. Vide obsecro quò me impetus rapit: ea in calamo, quæ in mente. Eo enim in loco sum, ubi periculum mihi ab eādem labet. Vbi? inquires. Penè in Vbiis: in oppidulo Mulhemio, quò ex Bataviā vēni, ut Francofurtum, & inde in Italiam eam. Comites quero; & spero inveniam. Interea an Rhenum trajiciam, necdum constitui. Ego quidem te, priusquam abeo, videre haveo; sed periculum quoq; horreo. Locum hīc habet, quod Comicus prudenter scribit:

*Qui cavit, vix cavit: qui maximē cavit,
Is sapientius captus est.*

Con-

Consilium itaque tuum exspecto, ut sequar. Vive, & vale, ut virtutibus tuis longum nobis præluceas.

EPISTOLA VI.

IANO DOVSÆ. V. N.

Humanitate tuâ fretus, quam inter sermonem expertus sum, scribo: et si sciam sic denuo suffusum me iri innato quodam pudore. *Litteræ* quidem, ut vetus verbum habet, *non erubescunt*; ego tamen in litteris: nisi scribens fortè audacior, quia testior sum, & velut velamine nuptus litterarum. Non sum: & si qui tales, qui epistolam, ceu mentis larvam habent, & velare vultum nituntur, quem mutare nequeunt, ostendere erubescunt; repeto voces meas: non sum. Idem ego calamo, & ore: nisi hoc differam, quod in scriptione animus conspiciatur, in sermone auditur. Sed tamen quid est? utrobique cognoscitur; ac nescio profectò, illo certius, an verò isto modo. Nam utrobique *ανδρος χαρακτηρ γνωσιται*. Quod Socrates adolescenti cuidam: *Vt te videam, aliquid loquere*; id tu mihi mutes: *Vt te videam, aliquid scribe*. Ceterum utrumque ego præstisti, quâ loquendo, quâ scribendo. O me beatum! si ita præstisti, ut probes: Beatiorem porrò! si probas, & testimonio aliquo id ipsum testificeris, quod abeuntem me dirigat, ne impediatur. Versiculos aliquot meos transmitto, ut, si otium, legas, & conari nos aliquando, quod tu faventibus, atque adeò non faventibus Musis præstas, intelligas: velle, quod tu ad miraculum potes. Gloriosè hoc fortasse, sed utiliter tamen dico. Nam optimos quoque imitari, optimum est; ut dum summa affectamus, aliquam ex-prima-

affectamus, aliquam exprimamus partem. Satis autem citrā imitatio consistit. Vale, Lugduni Batavorum. iv. Non. Sept. 15. xcvii.

EPIST. VII. *Francofurtum ad Mœnum.*

SCIPIONI CAMPO V. N.

AVt fallor, aut voluptas omnis in præsenti est, quam sentire quidem suave, at acerbissimū meminisse; uti ego memini, qui cùm tecum fui, similis iis fui, qui hypocusto inclusi clibani vapore hiemis inclementiam vincunt. Nam postquam abii, invēni intentius frigus. Hilaritas omnis; illæ subdivales ad amœnum Mœnum ambulationes; illi nectarii de litteris sermones; illa convivio litterata evanere. Successit solitudo, cura, metus, & quicquid prolixum iter offundit. Sed ista habeam, dum te habeam: id est, amorem tui, imò mei tuū. Non amare enim non poteris, à quo te senties amari: nisi promptitudine amandi, debitum quoq; redamandi prævertes. Quare jam iter prosequor, non quasi amiserim oculissimum amicum, sed quasi præcesserim. Vale Elegantiarum omnium flos. Basileæ. viii. Eid. Octob. 15. xcvii.

EPISTOLA VIII. *Venlonam.*IOANNI PVTEANO, *Patri meo S. D.*

PERICVLVM quod passus sum, ipso itinere majus, breviter peritringam, mi Pater; ut famam periculo majora nunciantem corrigam. Coloniam Agrippinésum perveneram, hospitio à gentili nostro B exceptus,

exceptus , optimo & humanissimo viro. is , periculis omnibus collatis & expensis , terrestre mihi iter persuasit. Ergo Tuitii equum conscendi , Mercatoribus , quos spes lucri ad Nundinas evocaverat , comes factus. Diem fermè circa medium , cùm jam aëris tepor incalceret , in pago quodam substitimus. Instruitur prandium : cumque cœnaculum ingressi discumbimus , & ad cibum porrigitur manus , quidam è mercatoribus , morbum , quasi à concussatione contrahitum , abstinentiâ detexit. Ego mox , quod erat , suspicatus sum , contagioso hominem malo tactū. Reliqui admonere , equum succusorem cum tolutario aliquo commutaret : sed ille quidem , quò suspicionem mali minueret , primo die recusavit. Nec diu morati cœptum carpimus iter , donec ad destinatum stabulum dies fugiens fessos perduxit. Postridie difficilior profectio , per clivosa & salebrosa quædam loca , & convales lacunosas , partim equis partim pedibus nostris vecti ; ut non minor incessus vegetatio , quam fatigatio sedentaria fuerit. Ille verò vectoris equi accusator , quantum pedibus suis ægritudinem auxisset , vultus detimento contestatus est. Mihi tum quidem equus , ab ungulâ ad saxeas illas fudes contusa , nutanti capite claudicans , risui simul , & remoræ fuit. Sed reliqui inhibentes gradum , & meo infortunio , & dolori ægrotantis non inviti consulebant. Sic proficiscentes , opidum Libburgum , ultimam diei metam curriculo solis deflente , intravimus ; & dissolutis atque in diversorium conditis sarcinis , ego equo , æger sibi operam dedimus. hic autem , haud amplius morbum dissimulans , serio ægrotabat. Nam ut primum tectum subierat , in illo garritu mercatorum ,

ser-

sermonen segregabat, & in scamno seorsim decumbens, cœpit à quiete nequicquam solatum quærere. Cibos aversatus, potiunculas, quas vino & protractis aromatibus miscebat, identidem libabat. Et jam quidem de morbi genere cunctis constabat; sed privato silentio quisque tegebatur periculum commune; & communibus fabulis privatum metum demebat, cœnæ, sed & somni tempore. Nec enim mensa nobis tantum, aut cubiculum, sed pænè lectus communis. O miseram sortem! ubi illa triclinii hilaritas? ille noctis *λυσιμέριος* Somnus? Ipsa quies, quæ curarum sepultura esse solet, securitatem denegabat. Eundem illum aërem nocturnum semisopiti hauriebamus, quem & altè ducta laborantis suspiria infecerant, & vomitiones quoque corruerant. Deinde periculi imago per somni nebulae aucta, ligatum animum non sinebat constantiam suâ uti. Nocte exantlatâ, quisque sarcinulas colligere, equos onerare, & maturare abitionem. Interim dum jentaculo reficiuntur, communi voce mercatores ægrum suum hortari & obsecrare, seipsum cognosceret, iter saluti postponeret, & apud hospitem benignum valetudinem curaret. Ipse hospes aditans, eodem impellere. Quæ ista, inquit, tanta cupiditas perfectionis, quæ salutarem quietem impediat? Habet honesta festinatio interdum necessarias moras. Ante omnia valetudini, deinde opibus est danda opera, ut dare possis. Si me audis, te ipsum amas; subfistes: ut validus subsequaris potius, quam infirmus comiteris. Quid enim si morbus incrementū ex itinere capiat, & hospitium petenti denegetur? Ne id nescias, pestilenta longè lateque saeviens, Hospitalis Iovis fœdera violavit. Hic verò molliùs curabere.

Quām Regi Antiocho oculi curari solent.

nec morbus vel tantillum inhumaniores nos reddiderit, ne si foret ipsa quidem pestis. O exemplum dicandum memoriae templo, ni avaritia profanasset! Nam hospites illi Lycisunt, quorum blanda verba latrocinantur; *quia aurum*, ut Comicus ait, *poscunt præsentarium*. Sed nec amica mercatorū hortatio, nechospitis benigna promissio retinere invitum potuerunt. Ita homines sumus, quærimus exitiū, dum stultè contemnimus: & serò recta consilia agnoscimus ac probamus. Equo interea meo æqua Hippona fuit, tantumque nox unica claudicationem minuerat, ut ad vēhendum idoneus videretur. Itaque in viam denuō nos damus, per nemorum amoenissimos saltus: & ægro nostro testudineo gradu subsequente, ad pagum prandio destinatum pervenimus: ubi de sanitate, & loco, unde iremus inquisitione factâ, cùm & illam intrepidè jurasssemus, & hunc quisque arbitrio suo fingeret, in diversorium admittimur. Commodū gusatatione finitâ, æger aderat, & sine obstaculo quæstionis ad nos usque penetravit, exangui colore luridus, & interno totius corporis æstu inflammatus. Dum venientem excipimus, & humi substructis pulvinaribus locamus, intrat hospitii dominus, qui ut notavit tam miserū schema, truci supercilie ædibus & grotanti interdixit *Quid multis? unà excessimus omnes*, fit concursus virorum mulierumque: barbariem hospitis publicè detestamur. Ille prosiliens, convitiis vindicat, injuriam & universam in nos turbam concitat. Bonum Factum visum est, furori cedere; & carpento conducto comitem avehere. Sed cùm ne id quidem pietatis officium impetrare licuit, adolescentem

men-

mendicum vi pecuniae eò adegimus , ut laborantis
duceret equum : atque ita infaustum , nec nominan-
dum pagum reliquimus. Ali quanto deinde viæ per-
menso spatio , ad lucum pervenimus , ubi æger ille
noster concussionis impatiens , ex equo se dimisit , &
de viâ trepido vestigio secedens , in gramine procu-
buit. Mox altius suspirium ducens , Tego , inquit ,
fatalem & ab æterno mihi destinatam terram , ut ab
eâ tegar. Quæ vox ad extremum dolorem omnium
dejecit animos : dumque taciti hominis miserrimam
sortem deploramus , ad aures nostras strepitus quidam
rotarum defertur. & è mercatoribus unus in pedes
desiliens , aut fallor , inquit , aut Deus nos respexit.
Reliquis admirantibus , carruca ægro submissa de col-
le allabitur : in quam è vestigio reposito ægro , lento
gradu procedimus & præcedimus. Neque dum luci
meditullium transgressi eramus , & in ipso vehiculo
miserrimus ille , mortis colorem induens , vitam fato
reddidit. O miselli homines quid sumus ? aut quid
speramus ? Hic ille sanus , ut videbatur , viam ingres-
sus , priùs vitam , quām viam finivit. Divitiarum sua-
rum rationes subduxerat , paucorum dierum non po-
tuit , aut neglexit. Ite mortales , & opibus fidite aut
annis : vidi , qui πολύχρονος , πολύχαλκος extinctus sit , &
in ipso robore ætatis. Salubre exemplum linquens hoc
ipso , quòd extinctus : deinde quòd ab uxore liberisq;
remotus , quòd subito , quòd in itinere , quòd in silvâ.
Quid nos ? defletum pro tempore comitem , quem
vivum ad Nundinas non licuit , mortuum ducimus
ad sepulturam : cui proximum pagum destinamus.
Sed rusticani isti priorum ingenio præditi , pertinaci-
ter nos rejecerunt : nisi etiam tantò crudeliores ,

quòd in mortuum impii, non tecto hominem, sed solo cadaver arcebant. Eandem in uno etiam alteroq; loco fortunam passi, pñè Francofurtum produximus funus. Præcipiti tandem die mitiora ingenia naeti, scilicet quæ pecuniâ saltem ad commiserationem fleti poterant: cadaver recipitur, & à terræ quibusdam filiis terræ mandatur. Ωσδ μεν εντ' απόλωλε: mihi deinceps quid futurum sit, Deo in manu est. Sperando optima, extrema mihi cuncta proponam; ut si quid mali acciderit, hoc beatus sim, quòd evaserim pejus: neu timendo perpetuò, sed semel tantum sentiam malum capiendo. Nam in malo nihil præter metum mali: bonum autem ipsa spes extendit. Hanc mihi Deus mentem in reliquo & viæ & vitæ servet. quem eundem precor, reducem me tibi, matri, familiaeque superstiti faciat. Francofurti ad Mœnum, Prid. Kalend. Octob. ∞. 15. **XCVII.**

EPISTOLA IX.

Antuerpiam.

ANDREÆ SCHOTTO V.C.

Societatis IESV.

Quod Vlixi Minerva, id mihi Epistola tua, Doctissime SCHOTTE, individua itineris, & periculi comes: cuius suavissima lectio nescio quid divinum animo cottidie instillat; ut horrenda quæque mihi videar intrepidè posse sustinere. Cyclopis aliqua specus est? ingrediar: Solis boves? adspiciam: Scylla, aut Charybdis? evadam: Circes poculum? bibam: Lotophagi? accedam: Sirenes? audiam. Immò verò ut iter hoc fuit, Cyclopis specum introivi, sed

sed egressus sum : Solis boves vidi, sed abstinui : Scyllam & Charybdim præternavigavi , nec abreptus sum : Circes poculum bibi, nec mutatus sum : ad Lophagos accessi , nec remansi : Sirenes audivi , nec accessi. Singula quid explicem ?

O multa dictu gra via , perpeſu aspera ,

Quæ corpore exantla vi , atque animo pertuli !

Hodie qui iter faciūt, contusa & cribro succreta quædam aromata circumferunt, aëris aut stomachi causâ: at quantò satius , ad constantiam animum roborare , sicuti ego salutaribus tuis monitionibus & dogmatis roboravi ! Nam in vnâ illâ Epistolâ mihi stacte , cinnamomum , macer , caryophyllum insunt , quibus universam hanc itineris acrimoniam sic condio , ut acerbum nihil sentiam : temnam

Et quodcumque mali est , & quicquid triste timemus.

Ad Agellum non tu incitare me mavis , quâm ego sponte currere , auctorem (siquis alias) tersum, eruditum , nec minùs varium , quâm res litteraria ipsa. Itaque operam hanc condico lubens meritò: & quam primum Vrbem introiero, hoc negotii sumam ; ac neglētum hunc agellum excolere aggrediar , quâ runcinando , ubi sentes succreverunt ; quâ supplantando , ubi emortuas litterarum(ut sic dicam) has plantas videro , aut evulsas . Nec inutilem laborem ponam, cùm istas C I A C C O N I I hominis doctissimi schedas , & collationes tuas considero , quæ per se quidem huic scriptori expoliendo . F V L . V R S I N V M , & I O S . C A S T A L I O N E M , ceterosque , ut scribis , salutabo. Vale , & me ama. Hanc Epistolam Plantinianis dare constitueram : sed præveniens hic amicus meus , ad cinctus ut istuc pergeret, se onerari passus est. Francofurti,

furti, Kal. Octob. 10. xcvi. Die crastinâ Argentoratum versus iter instituam.

EPISTOLA X. Lovanium.

GVILIELMO BARCLAYO S. D.

Dis Vialibus si caussâ meâ sacrificasti, mi BARCLAYE, litavisti. Evasi enim, & limen Italix attigi, magnam Insubrû Urbem. ubi exceptus à Principe, quem Eruditi omnes norunt, humaniter fui, ac detentus. A Principe inquam, quem nescio ab Armis, an à Litteris justius tibi commendem; cùm param utrumque laudem & gloriam æqualem trahat:

*Iusta pari premitur veluti cùm pondere libra
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illâ.*

Tu modum cognosce, quo exceptus sum; & gratulare seculo nostro, esse in Magnis illis, qui honorem Eruditioni habent, ipsi eruditî. In urbem postquam ingressus sum, hoc mihi negotii credidi potissimum dari, ut Herculem hunc Musarum viderem, atque à I. LIPSTO salutarem. Copiam I o. BAPT. SACCVS, vir doctus, impetravit: à quo eodem introducetus in Aulam fui. Dum hostiarium sequimur, locum pellucidum intramus, librisque superbè instructum: mox intellexi in Bibliothecam me venisse; & à SACCO admonitus, video ipsum Principem ad mensam sedem, atque lexitantem. Ergo animatus tam formoso scheme, paullulum processi, & postquam ad manus accessi, instar oratorum conformato articulo, oratunculam, quam pridie antesomnum conceperam, intrepidè habui. Ille dictione meâ & calore delectatus, utrum-

utrumque laudatione prosecutus est: ac placere sibi
ait Mediolani subsisterem, curaturum, nequid ad ho-
nestum, & Litterarum otium deesset. Quid censes?
avidè favorem amplexus sum, gratias Optimo Prin-
cipi dixi, ac substīti. Nunc in A N A L E C T I S quibus-
dam sum, quæ è bonorū scriptorum monumentis
famæ struendæ congero. Convivium, & fercula sunt,
quæ censuris ritibusque misceo ac condio, ut averso
quorundam stomacho aut amuso conciliem. Quic-
quid est, tu mihi nominandus mi B A R C L A Y E , ubi
nomen spero: vt quām te amem, morum caussā; quām
æstimem eruditio[n]is, publicè innotescat. Pergamus
porrò in Amicitiâ cœptâ, & in iis unde illa orta; id
est, virtute, Litterisque; quibus nihil homini melius
contingit. A R T H V R V M G O R D O N V M , illud deli-
tium hominis plurimū saluto. Tu vale. Mediolani,
xvi. Kal. Novemb. 10. xcvi.

EPISTOLA XI. *Mediolanum.*

CAMILLO TROTTO V. A.

Senatori Regio.

M O R B U M tuum hactenus ferimus; quod cum
minori litterarum, quām Reipub. damno sit,
quodque violentum justitium in amoeniori-
bus & sermonibus, & libris consumas. O magnum
virum! cui cùm ob valetudinem occupari publicitus
non licet; otiosum in valetudine tamen esse non libet.
Nec vitio id facere videri potes, sed divini illâ tui ani-
mi naturâ, ac flammâ, quā priùs extinguis, quā com-
pescas. Iisdem illis studiis, quibus serias antea curas le-

C

vigare

vigare solebas; nunc effectum quoq; curarum, id est, morbum ipsum, & doloris sensum. Censeo hoc deinceps exemplo Lebadiam cum Helicone mutemus, & corpori, ut animo medicinam faciamus, ab eadem Musâ. Quâni stultè eruditorum pleraque pars! quam ignavè! Si corpori ægre est, divinam partē sepeliunt; ut planè in veterno cubare, ac præsorbere Lethæum poculum videantur, dum adscititiâ oblivione se ipsi ac doctrinam mergunt. Hi non considerant similes se navis esse, simulacrumque habere; quam si periculo tempestatis ad carinam exonerant, mergunt, non minùs, quam si onustam furentibus undis objiciant. Etenim tempestas, morbus est: onera, litteræ & studia, quibus qui seipsum cunque spoliat, in potestate doloris est, & ad omnem morbi curam agitur: qui tanquam saburrâ uitit, periculi securus est, &

----- *medijs tranquillus in undis.*

Sic te esse scio Vir Amplissime, Deumque precor, uti in bonæ valetudinis portum in columis evadas. Tici ni, vii. Non. Novemb. 15. xcvi.

EPISTOLA XII. Lovanium.

I V S T O L I P S I O V. C.

Historiographo Regio.

POst asperum & prolixum iter Mediolanum tandem perveni. Bone Deus! quanta, & quam multa perpeccus! Ludum & iocum qui Peregrinationem vocant, stultè vocant: cruciatus, & calamitas est, & malorum uberrima seges. Et haec tamen, audivi, sensi, quæ hærebunt

bunt in omne ævum. Pessima pleraque , uti caveam: salutaria quædam , uti sequar. Quamvis hoc ipsum salutare censeam , novisse quandoque malum, ne facias. In viâ minùs errat, qui gnarus viæ , & lumine casus impingit sæpiuscule , quia cassus. Nonne idem in nobis? Quoties in bivio virtutum vitiorumque constituti, si in trorsum solo errore abimus? Minùs forte errat, qui ignorantia; errat tamen: at que utinam semper minùs! In saxum aut pilam si quis improvidè currat, non dicam minùs læsum , quod non viderat; sed si minori impetu incurriterit. Ego hæc in illum finem, ut scelera quædam me vidisse intelligas , non didicisse. Verè enim hoc dicam: perfidiam, fraudulentiam, malitiam, perjurium, aliisque id genus, quo cunque veni, inveni: notavi, & abstinui. Et profectò iter ipsum ita suggerebat: ita materiam ubique subministrabat philosophandi. Plerosque è sequacibus ad extremæ egestatis terminos redactos vidi? ecce exemplum trucis Fortunæ, & contemplatio miseriae humanae: vixisse unum? ecce salutaris illa mortis meditatio, frenum animi lascivientis. Quid multa? in rem deducere cœpi, quæ à te publicè privatimque doctus. Litteras tuas I.o. BAPT. SACCO tradidi, homini multarum litterarum & humanitatis. qui te ita amat, ut meritus magis , quam avidus redamari: et si avidus & meritus. Gratiam enim tuam mavult, quam jactat: nec tam gloriator huius amicitiae , quam cupitor est: quoniam (cum Apuleio hoc cogitat) cupere nemo, nisi verè putet, potest: potest autem quivis falsò gloriari. Principem ipsum vidi , conveni, audivi : magnum sanè,

Tou dñ vñ yε μεγιστὸν ἀπόπλιον καὶ οὐκ εἴη.

Præclara eius facinora, non dicam adornando, sed ad-

mirando fatigabor , vel belli ausa , vel domi provisa:
 isthic militiam , & expeditiones ; prælia , & victorias ,
 (quæ ejusmodi sunt , ut turba illa Imperatorum veter-
 um injuriâ triumphasse videri possit , HVIC NISI
 TRIVMPHVS DECERNATVR :) hic vero scientias
 & omne genus eruditionis Sapientiam inspicis ? Phi-
 losophatur : Mathesin ? eminent inter primos : Iuris-
 prudentiam ? Leges veteres , novasque perlustravit :
 cetera ? in omnibus laudem adeptus , immo palmam .
 Librorum autem supellecilem instructissimam ha-
 bet , quam cum delectu comparat ; nec comparat tan-
 tum , sed usurpat ; volvit , ac revolvit . Scimus , Biblio-
 thecas quo pacto plurimi ornent : volumina multa
 cumulant , non tractant ; congerunt , non conterunt :
 deprehendas in ubere velut librariâ penu epulas
 cuiusvis doctrinæ : ipsum dominum in his deliciis ru-
 dem , indoctum , & Tantali vice sitientem , non qui-
 dem fallacem illam fluentis fugitivi undam ; sed veræ
 scientiæ ac virtutis . Heros hic aliter , qui cum splen-
 didissimas librorum dapes habeat , libat ac delibat
 quotidie , non tantum ad famæ fuæ vitam , sed immor-
 talitatem . Vides igitur ad qualē me Principem mi-
 seris : magnum illum quidem , sed blandum tamen &
 benignum : magnum , sed tui peramantem , ut nec
 frustra miseris . Exceptus enim humanissimè fui , id-
 que tuā caussā : detenus quoque liberaliter , sed tuā
 caussā . Quare dum beneficium mihi das , accipis ipse ;
 dumque me tibi obstringis , obstringeris ipse , tanto
 quidem arctius , quantò majora ille beneficia confert ,
 cui obstringeris . Tu vero habes quo te solvas , & ex-
 pungas meo nomine contra summum nomen : eo minus ,
 quod citius expunxeris . Facit enim mora debitoris , ut
 amplius

amplius obligetur. Liberam & candidam epistolam habes, sine dolo scriptam. Vale mi Doctor. Medioli- ni, xv. Kal. Novemb. &c. 15. XC VII.

EPISTOLA XIII. *Antuerpiam.*

GABRIELI STEYDLINO S. D.

AN libenter ad te scribam? ut ad neminem de- beam, aut velim magis. Ego te amavi, ex quo novi; & nunc amo, puro & singulari quodam affectu, quem debere me profiteor Ingenio tuo, Modestiae, Eruditioni: & tum demum desinam,

Quo die Orcus ab Acheronte mortuos amiserit;
 id est, cum tu amoris caussas. O solidum & potens vinculum, nec sanguinis viribus inferius, quod Virtute neicitur! *Hoc etiam (utar Valerii verbis) certius exploratius, quod illud nascendi sors fortuitum opus; hoc uniuscujusque solidi iudicio incoacta voluntas contrahit.* Vnde cum sanguinis jure amicum accipiam; Virtutis, faciam: maiori constantia conservandus est, que sponte elegi, quam necessario quem admisi. Quia alterum æqui ratio, alterum etiam decori postulat. Itaque vides in quo gradu sim, imò in quo tu mihi: ut me ipsum Virtutemque amare desinam, ni te pergam, qui tam constanter meque Virtutemque amas. Bene vale: & Clariss. Viris, ABRAHAMO ORTELIO, & IOANNI BOCHIO salutem nuncia. Mediolani, Pridie Kalend. Februarij. &c. 15. XC VIII.

EPISTOLA XIV. Ticinum.

HENRICO FARNEARIO V. C.

MAGNA mihi semper cupiditas fuit cognoscendi & compellandi doctos: inter eos te vel maximè Clarissime FARNESI, quem recondita quædam & prisca eruditio inter ævi nostri primos esse voluit, Principibus gratum, vulgo venerabilem, omnibus notum. Et ambitiosè fortassis; utiliter tamen tibi tali innotescere cupiam, quia sine studiorum emolumento aliquo Doctorum hæminum amicitia nec contrahitur, nec colitur. Nam ut illi, qui per Sollem ambulant, aut colore m mutant, aut urentem sentiunt calorem: sic dum consuetudine Grandium utimur, aut dotes quasdam amando in nos derivamus, aut desiderium aliquod concipimus admirando. Tu igitur Vir Clarissime in Amicitiam tuam me admittes; cuius velut tessera A N A L E C T A ista habe. si non ubique probi saporis vigor, & nidoris gratia; alicubi tamen erit. nec tu, si per partes singula fercula non probas, universa & junctim posita spernes, cum Plinio cogitans: *In ratione conviviorum, quamvis à plerisque cibis singuli temperemus, totam tamen cœnam laudare solemus: nec ea, quæ stomachus noster recusat, admittunt gratiam illis, à quibus capitur.* Vale. Mediolani, v. Non. Majas.

oo. 10. XC VIII.

EPI-

EPISTOLA XV. *Patavium.*

Io. VINCENTIO PINELLO,
Viro Perilliustri.

EXPECTARE te ANALECTA mea, Perillustris Vir, gaudeo: et si non subdolere quoque non possum. Gaudeo, quod iudicium tuum experturus sum; cui si probabor, non temerè spem concipiā alicuius famæ: si improbabor, fructum capiam benevolæ correctionis. Non subdolere autem non possum, petitione me tuâ præventum, ansam anisissime offerendi; modum fortasse demerendi. Non id quidem pretio aut valore huius scripti, quod per se exiguum; sed promptitudine animi in te mei & cultus. Nunc ergo quem dare volui librum, exfolvo: debere enim videor, quem tam avidè petis; ut desiderium merear, quo petis. Salve magnum Italæ decus. Mediolani, x. Kal. Iun. 15. XCIX.

EPISTOLA XVI. *Lovanium.*

HERIBERTO ROSWEYDO *Societ. IESV, S.D.*

HACTENUS silui; sed, si veram caussam quæris, fiduciâ quâdam amoris. Ut oblivionem tui dicas, cave sis. Ego te unum cogito, te unum desidero, & hoc magis, quia longinquum. Interdiu & inter noctu mihi dulcissima tua imago obversatur: inter legendum, inter scribendum. Nihil rectum, nihil pudicum mihi stilus expressit, de quo, post conatum meum, censuram tuam non finxi: nihil aut amœnius

nius lectu, aut difficilius intellectu comperi, cuius te participem judicemq; non optavi. Et sanè nonne debui? Gratiam hanc refero, ut, postquam pedem si-
ne manuductore ponere dīdici, manuductoris tamen auxilio me delectari demonstrem. Itaque fiducia fuit mera amoris: amoris autem puri & veri, quo me pro-
sequeris, quóque ego te meritissimò prosequor; non solùm quia me amas, sed etiam quia amari tu dignus,
ob tot insignes elegantissimi ingenii dotes: quarum et si laudem mavis in conscientiā, quām rumore po-
nere; patieris tamen, ut quæ à te sine laudis affecta-
tione præstantur, citra adulationem à me quoq; præ-
dicentur. In nefario aliquo peccatum sine peccato
damnamus: in bono & studio homine virtutem ce-
lebrare liceat. Absit, ut cujus specimen in me ipse af-
fectem, ejus encomium in alio fugiam. Quid igitur
est? virtutes tuas laudo? merentur: te ipsum? amor
suadet. ex virtutibus autē hic amor nascitur, qui cùm
honestus, laus quoque honesta, quæ inde procedit.
Sed de his abundē. Agellum resumpsi: in quo lib. II.
cap. xxii. de vento lapige hæc vide: *Partim autem*
sunt, qui pro oœto xii. faciunt, inter hos, quatuor, in media lo-
ca inferentes, cum meridie septentriones: eadem ratione, quā se-
cundi quatuor intersiti sunt inter primores duos apud orientem
occidentemque. Nebula hunc locum tenet; nec quic-
quam video. Ingenii quodam radio eam pellere pos-
se videor: tentabo, donec tu oreris. *Inter hos ferri prin-*
cipio nequit. Quorsum enim referas? ad xii? falsum
est: ad viii? remotum, imò impróprium est. Duo
Manuscripti quos vidi, ternos referunt: ex quo adju-
tus editione vulgari *internos* efformabam, non intole-
rabilis sensu. Veram tamen lectionem FVL VI VRSINI
liber

liber suppeditat, in quo est Tertios: & conjungam:
Tertios quatuor in media loca inserentes. Nam in hoc A-
 gelli loco quatuor primos, quatuor secundos, quatuor ter-
 tios reperio. *Quatuor primi*, à quatuor limitibus sive
 regionibus Cœli spirant: Eurus, Auster, Aquilo, Fa-
 vonius: quos & Fabius agnoscit lib. XII. cap. x. *Sicut*
 quatuor generaliter ventos à totiem mundi cardinibus acce-
 pimus fiare. Iam verò *Quatuor secundi*, ab Ortu Oc-
 casuque Solstitiali, atque Brumali: Aquilo, Vultu-
 rus, Gaurus, Africus. *Quatuor tertii* in media loca in-
 seruntur, cù Meridie (ut Agellius ait) *Septentriones*. (re-
 scribe, ut sententia constet, *cum Meridie Septentrioneq;*)
eadem ratione, quā secundi quatuor intersit i sunt inter pri-
 mores duos, apud Orientem Occidentemq;. Primores duos
 vocat binos è quatuor primis, non Eurum & Fav-
 nium duntaxat, quod verba illa, apud Orientem Occi-
 dentemq; incauto imponant; sed promiscuè inter Eu-
 rum & Austrum: Eurum & Aquilonem: Favonium
 & Austrum: Favonium & Aquilonem. inter quos,
eadem ratione sive distantiâ, quatuor primi cum
 Meridie Septentrioneq; locantur, quā secundi quat-
 tuor apud Orientem Occidentemque. Par enim in-
 terrallum est ab AEquinoctiali in alterum Tropi-
 corū; & à Polis ad circulos Polares: si nostrā hodie
 constitutionem sphæræ sequimur. Quæ omnia ad
 schema aliquod ventorum examinanda sunt. Agel-
 lius deinde de peculiaribus Ventorum nominibus
 agens, quæ vel à loco, vel à caussâ aliqua imponun-
 tur, ait: *Nostrī namque Galli ventum ex suā terrā flantem,*
quem saeuissimum patiuntur, Circum appellant, à turbine, o-
pinor eius, ac vertigine: ικτυγα ex ipsius Apulia orā profici-
scētem quasi finibus, Appuli eodem quo ipsi nomine Iapigem.

D dicunt.

dicunt. Manuscripti variant: & leviter quoque H. STEPHANI editio, in quâ est: eodem & ipsi nomine. FVLVI liber: *ιαπυγη ex ipsius Apulie orâ proficiscenâ Apuli eodem quo ipsi sunt nomine Iapygem dicunt. Recte, quo ipsi sunt: Ex Solino enim scimus, Apuliæ populos, Iapyges à Iapye Dædali filio dictos.* Sic Marcius Capella lib. vi. *Iapygas Iapyx Dædali filius condidit.* Hinc ipsa regio Iapygia, & in eâ urbs quoque Iapyx. Animadverte autem mihi videor, Agellum non finibus, sed finibus scripsisse: idque Apulejo Notore. qui ista de ventis, aut ex Favorino, unde Agellius; aut ex ipso Agellio refert, & finum nominat, lib. de Mundo. Horum nomina (ventorum) plerique commutant de loco vel similitudine aliquâ; ut Galli Circum, à turbine eius & vertice: Apuli Iapygem ex Iapye finu, id est, ex ipso Gargano venientem. Addit Apuleius: *Hunc Caurum esse, manifsum est. nam & ex occiduo venit, & Virgilius eius sic meminuit:*

Illum inter cædes pallentem morte futurâ,

Fecerat ignipotens undis & Iapye ferri.

Agellum cōpone, & vide queso an consentiat. Scribit: *Eum esse propemodum Gaurum existimo nam & est occidentalis, & videtur aduersus Eurum flare.* Itaque Virgilius Cleopatram innavali prælio in AEgyptum fugientem vento Iapye ferri ait. Plura videbis; imò totum hoc caput in Apuleio expressum; ut frustra prosequar. Quæ scripsi ad tribunal tuum defero; ut judices, BARCLAYO meo in consilium adhibito; cui tātum amor permittit, ut abire à sententiâ mēa possit. Amiculos illos nostros salvos esse cupio: te in primis, quem inter primos amo. Non omitto Reverendū & optimū virum, P. WIRINGVM, cui vel me tacente dicēda tibialis. Mediolani, xvii. Kal. Sep. 10. XIIC. EPI.

EPI-

EPISTOLA XVII. *Mediolanum.*

GVLIELMO HVYSMANNO. S.D.

MITTE quæso sollicitum sermonem istum & anxium: Labantur scio occasions, & frigescat paullatim instituti nostri ratio, nisi illuc in re præsenti adsim. Itaque veniam, et si ægre me divelli Illustrissimus meus patietur: veniam, & operam amicabile dabo. De hospitio ne urge: sed si me amas, arbitrii mei hoc facies, ut divertam ad HVYSMANNVM meum, vel non divertam; gratior futurus, si mea sponte venero: haud injurius, si jure meo emansero. Sed totum hoc componet ipsa

Bou τιθύνται πολεμία λίμους φύλαξ φίκιας, ιατρός εἰλύτου βουλίμιας, τε. Επιτηγά, δηνις κουρέων δημογείκας, τραπεζα.

Ad Principem scripsi; caussam tuam egi: quod restat, coram experiar. Vale vir amice, cum tuis. v. Kal. Quint. 15. XCIX.

EPISTOLA XVIII. *Romam.*

MARCO DORNIO, SOCIET. IESV, S. D.

AMICIS vale dixeram, ut in Italiam irem; & ad te litteras ab HERIBERTO ROSVVEYDO; tum quoque munuscula quædam à R. Patre HENRICO SOMMALIO, ad P. BAPTISTAM A COSTA fereda accepi: quibus sarcinulas meas gravari libens passus sum; sive eos respiciam, qui miserant; sive eos, ad quos miserant. quorum alteros officio isto remunerari studui, alteros demereris. Cum deinde in Bataviam me referrem, ut florentissimam Provinciam, & malud.

qui in cā hodie lucet , Litterarum Solem viderem,
dies plures consumpti sunt ; iterque in adultum pæ-
nè Septembrem procrastinatum. Quod initium fuit,
hujus moræ. Deinde difficultas profectionis spissi-
gradissimum me fecit, tardiorem

-----quām corbitæ sunt in tranquillo mari.

Tum periculum pestis per Germaniam longè lateq;
sævientis tanquam erronem.

Πλαγκτοσων δ' οὐκ εἴ τι κακώτερον ἀλλοί βροτοῖσι.

Tandem, ad lacum Larium accepto Hygeiæ symbo-
lo, Mediolanum processi , ubi ab ipso Principe jussus
subsistere, inter commorandi & proficisci dubi-
tationem hactenus hæsi. Interea liberare fidé meam
in votis fuit, & quæ acceperam, trāsmittere, sed quæ-
sivi integrum tamen ferentis gratiam mihi reser-
vare. Frustrà: quia confirmata mea mora est. Quare
cum indice à me habete , quicquid diligentia meæ
commissum est: gratiamque tribuite, si non quòd ci-
tò habeatis, saltem quòd secure. Mediolani , v. Non.
Maii ∞. 10. xcix.

EPISTOLA XIX. *Mediolanum.*

Ион. Барт. САСКО V. C.

LIBRVM. litterásque accepi, legi, & fructum a-
liquem ex illo etiam collegi. Marem sc MARIVS,
& litterarum hoc mare se probat diu naviga-
se. Rectum iter si non tenuit semper, conatus est : id-
que laudi quoque tribuendum, inter totscopulos &
vada. Ut cœlo obscuro difficilis navigatio , & cum
----- inherruit unda temebbris; sic scriptio ætate malâ, nec
uno tantum malo obfuscata. Multa tamen per ne-
bulam

bulam istam vidit, & in lucem eruit. Quid dicam?

Si albus capillus hic videretur, ne sit quam ingenio est senex.

Inest in hoc enim situs sua fibi ingens in doles.

Ego quidem hæc & hoc otium, quod perenne mihi voces, probo; sed ita tamen, ut urbem aut Italiam magis: quam dies noctesque meditor ac contemplor. Nec quietem quo^ro, sed motum: & à motu, studiorum aut Prudentiae aliquem fractum. Tu me consilio tuo diriges. Salve. Gallarati, Prid. Eid. Jun. 15. xix. ANTONIO POGGIO multarum litterarum & humanitatis viro S. adscribo.

EPISTOLA XX. Patavium. vi

THOMÆ SEGETO. S. D.

QVIS Dens, aut casus toties nos conjungit, & quidem insperatò? Verè Homerus dixit:

μέτι τὸν ὄμοιον ἀγεις θεος ὡς τὸν ὄμοιον.

Lepidissimum uero illud, in illo Mercurii opido; nec sine numine Musarum. Inter nummularios ambulabam, & ecce dum mercatorem meū quo^ro, tu ipse quem Lovani videram, Antverpiæ liqueram, defrente turbâ, mihi objiceris. O spem insperatā! cumque fidem ego oculorum timerem, & ipse mihi non crederem; tu numerò in amplexum meum ruens, dubitatione discussâ, gaudium utriusque complevisti. Id nunc quoque inter absentes contigit, ut per literas invicem reperi remus, quas ad alios utrimque scripsimus, & ad alium finem. Quorsum replico? Historiam intellexi, & miratus sum: iamque carior mihi liber meus, quod index mihi tui fuerit ac reper tor, imò tibi mei. Nam etsi caussam ad me traham;

D 3 deside-

desiderium tamen utriusque si penitentem, dubium
hercle sit, uter utri videatur restitutus. Ego vero faxo
eiusmodi Nomenclatores a me plures habeas, qui ti-
bi PUTEANVM non calent tantum, sed cantillent. Har-
monicum enim nescio quid scribere institui: & perf-
ciam, si diutius in hoc portu consistam, quo velut ex
tempestate quādam deiectus sum. Epistolam Peril-
lustris PINELLI pro munere habui: nec rescribam tā-
tum, sed redhostiam. quod utinam istic corām fiat.
Nam illum virum, illam urbem, & te in illā, & apud
illum per velim videre: & video, ita vivam & va-
leam; quod utrumque ex animo tibi opto. Gallarati,
iv. Eid. lun. 20. c. xciix.

EPISTOLA XXI. Lovanium.

IVSTO LIPSI O. V. C.

Historiographo Regio.

VOLVPE mihi, ad te scribere Vir Clarissime; &
non ita pridem litteras misi, grandes illas, &
spissis admodum sulcis exaratas, copioso re-
rum semine sparsas: sed a quibus fructum haētenus
non percepi. Nisi fallor, aut meæ, aut tuæ perierunt.
Meæ, ad quas haud dubiè respondisses: tuæ, quas non
accepi. Nunc librum mitto, quem vulgavi, ut judi-
cium tuum experiat: & libens mitto, quia libenti,
qui Tirocinium hoc famæ, scio, haves inspicere, &
ingenii mei spem fulcire, amicâ & seriâ monitione.
quam tanti ego facio, ut blanditiis ceterorum &
laudationibus, anteponam. Centeri a quovis nō su-
stineo: a te vero, avide etiam ambiam. nec enim
rcpre

D

dellide

reprehendere me potes; nisi ut instruas: ambitiosi
isti, nisi ut contemnant. Carpunt, imò corripiunt,
non corrigunt, siquid peccatum est; imò siquid non
peccatum: ut scilicet suæ desidiæ medelam alienis
culpis faciant, & suo nomine obscuri, alieno inno-
tescant. Tu verò Vir Clarissime, quem Famæ securi-
tas liberum, & doctrinæ excellentia verum in alie-
nis dijudicandis facit, sine affectus ullius suspicio-
ne confirmare sententiam rectè sentientis potes, vel
opinionem damnare perperam conjectantis. Quod
te rogo, & salvere jubeo. Gallarati, quò cum illu-
strissimo WOLFANGO THEODERICO Comi-
te ALTEMSTO Patrono meo, æstus caussâ con-
cessi. Ipfis Kal. Iun. 10. XCIX. Clarissimum
V. GERARDVM CORSELIVM per te saluto.

EPISTOLA XXII. *Mediolanum.*

LVDOVICO SEPTALIO V. C.

ONERA RE te ausim litteris ad Principem scri-
ptis? Ac jam quidem eas habes. Scin' cuiusmo-
di? non ad pompam ornatas, aut ceruſâ elo-
quii tinetas; sed familiares, aut propemodum negle-
ctas. quorum alterum à benivolentiâ Principis su-
mo, alterum à libertate meâ; imò à naturâ. Haud
placet ista, in quâ industria multorum consumitur,
stili ventosa enormitas. Non Epistolas plerique
scribunt, id est, sermonem familiarem; sed ludi-
bria quædam levium atq; inanum sonorum Eosdem
si audias, putas alios loqui. Sic igitur præscriptio-
ne, depresso sermonem eunt; tanquam turpe sit la-

tinè fari. Sed quid hoc obsecro aliud est, quàm dotes quasdam Ingenii, quas probare nequeunt, velle ostētare. Prima orationis scaturigo ab animo est, aut ab ipsâ ratione : expressio verò diversitatem habet, utrum stilo adumbretur, an ore formetur, cerâ excipiatur, an aëre animetur. Imò verò si recte perpendimus, & difficultatem elocutio, & suavitatem atque laudem majorem habet. Stilus enim limam scribentis admittit, & correctionis patiens est : sed nescit vox missa reverti.

Stilus encomium suum à pronuntiatione trahit: vox sine stilo commendabilis est. Sed ut isthuc redeam, esse quosdam gradus litterarum non nego, aliterque de plebe aliquem, aut amicis; aliter virum magnum, atque in primis Principem compellantum. hīc surgere dictionem aliquantum finam; nec tamen penitus abire, pro re & materie subjectâ. Id feci : & apud te nunc quoque facio. Litteras tu ipse Principi dato, sic felicius dandas: cùm plus præsidii in auctoritate dantis, si tu dederis; quàm in conatus scribentis : etsi non alienus scripsero. Vale doctissime, & amicissime vir. Gallarati, xii. Kal. Quint. 15. xcix.

EPISTOLA XXIII. Ticinum.

GASPARI PINELLO, THEOLOGO.

SA L V T E M quod alieno ore nuncias, per gratum. Adjuvate nō votum missentis, precatio dicentis. Sed reliqua ista, voce meliora erant, & epistolæ includi debuerunt. Iste ipse excurram: ut de universo negotio otiosus. Mini animus reddit, & ab
xrum-

ærumnarum illâ violentâ plagâ respiravi. Quando sarcinulas colligam, & accingar? quando priscas illas sedes, illa rudera Romanæ majestatis, Manes & umbras tot Herôum venerabor?

Iam mens prærepidans habet vagari.

Plurimùm magno illi viro debebo, si hanc mihi copiam fecerit: tibi plurimùm, si impetraveris. Die cratini adero: & audies quod Retiario pugnanti adversus Mirmillonem cantari solebat: *Non te peto, piscem peto; quid me fugis Galle? Ride, & Vale. Mediolani, vi. Fid. Sex. 10.XCIX.*

EPISTOLA XXIV. *Ingolstadium.*

CORNELIO PLEMPIO S.D.

HEM! sic alterum tibi pænè oculum evulsum vehiculi lapsu, idque in ipsâ itineris metâ, & quasi desultu? Dolco dolorem tuum, imò, quia periculi securus es, risu tecum pariter deleo. Nam profectò totum hoc infortunium compendii loco habeo: nec aliter tu habebis. Prævertit enim aurigæ officium, vehiculum, & seipsum vnicō ejectu exoneravit. Nunc verò dum lanam ob oculum geris, & personatus incedis, vide ne veteres nobis Fastos corrigas, & Quinquatria Minuscula toto mense moveas novo exemplo: nisi tamen comitatum solennem quæris, ut sub ludo vitium celes, dum eidem mederis. Quod si ita est, accedo choro tuo, non oculos tātūm, sed aures quoque velatus, ne te velatum videam: néve ab amoënis Musarum studiis transire audeam ad nescio quas fori quisquilias, & Curiæ triviales nugas. Sed serione tu id scribis? an, ut soles, scōmate meum

E
erro

errorem pungis? Ego verò jam tandem impetravi, ut
vitatis illis vitæ tranquillæ scopulis, placido & recto
cursu ferrer, remigio Sophiæ & bonarum litterarum.
Quare sive exemplum formas; non reluctantem na-
ctus es: sive, quod animadverto, expetis; effice ut se-
quaris. Ad magnas opes non te duco: erit tamen
quod Posteris linquamus, si Fama respexerit. Mag-
nas divitias esse puto, divitias posse contemnere: id
autem aut ista, aut nulla studia dabunt. Ista inquam,
quæ cupidines nostras frangunt, quæ sapientiæ præ-
ceptis animos componunt, quæ denique vetè nos ho-
mines faciunt. Tu cogita: & illud de Italiâ videndâ,
eius omnino tibi auctor sum; nec amicus, ni sim: ita
multa hîc videnda & discenda, quæ alibi frustra quæ-
ras. Vale. Mediolani, iv. Non. Sextil. 10. 10.
xciiix.

EPISTOLA XXV. *Mediolani.*ANDREÆ HERBORTO, N. *Iuvent.*

TESSERAM non moror; amor in me tuus & in lit-
teras liquet. Amor, inquam, litterarum caussâ
in me suscepitus; meâ, in litteras. Ex quo du-
plicem lœtitiam capio: & à semine honesti Amici-
tiam nostram pullulasse; & tanti me tibi videri,
ut exemplum litterarum nomines. malim ut auxi-
lium: ita enim veræ laudis testimonium admitte-
rem à meo merito, non opinione tuâ derivatam. Tu
me quidem sive rumore falsus, sive etjam affectu, ar-
bitrari majorem potes; ego tamen nonnisi me ipsum
exhibere. Qui sum, videri volo: esse etjam tibi
usui,

usui , quām videri . Si enim videor , in alterum
duntaxat fructus ; si sum , in utrumque redundat:
tūque auctior capiendo ; ego carior dando fio. Sal-
ve mi HERBORTE: & litteras à me amare perge ; me à
litteris . xviii . Kal . Sept . 15 . xcix .

EPISTOLA XXVI. *Pragam.*

IOANNI HOLLANTIO S. D.

CA VSSAM silentii mei , tuum dico , mi Amice:
Cideóque , si peccatum censes , veniam errori
meo concedes , ut tuo tribuas . Sed velim ne cen-
seas . quorsum enim scriptio nis illis vinculis & legi-
bus adstringimur , strictissimi Amoris ? In Amicitiā
nihil coactum est : nisi hoc unum sit , quod si quem bo-
nā causā semel amicum , perpetuò habeamus . Affe-
ctum inter absentes qui litterarum quodam fomento
alendum censem , quid nisi leviter amant ? Quid nisi
legem quandam imponunt , quam exigant ? Hinc
suspicio ex silentio : primum si sterilis scriptio est ; de-
inde si morosa responsio . Ex suspicione autem que-
relæ : Fidem violatam , Amicitiæ fœdus ruptum . Ad
summam , haberi uterque incipit , qui cœperat videri .
Nos fugiamus : & charitatis symbolum in affectu ,
non in litteris ponamus , ut rectè ponamus : in re ipsâ ,
non in signo , quod alienis quoque culpis obnoxium
est , præsertim si longius mittatur . Vale , & Iurisconsul-
ti titulo , quem recens solenniter suscepisti , felix diu
fruere . Mediolani , xiiii . Kal . Decemb .

EPISTOLA XXVII.

Io. BAPT. SILVATICO V.C.

Medico Mediolanensi.

ME N A N D E R in scenâ olim dictavit:

Τῷ μὲν τῷ σῷμα δια τεθείμενῳ κακῷ,
χρῆται τάπερα. τῷ δὲ φυχὴν, φίλου.

Mihi vero, per hosce dies, quippe in Causo decumbenti; parum Constantiâ utenti, opus & Medico & Amico fuit. Medico, qui corpori; Amico, qui medicinam animo faceret. Et utrumque in LUDOVICO SEPTALIO, & CAROLO COTTA repperi. in utroque inquam, verum & Medicum & Amicum: qui utramque mei partem statu suo motam restituere felicissimè cœperunt. Sic corpus, ut jam deinceps vivere possim: sic vero animum, ut contemnam. Quæ hujusmodi sanatio est; ut pænè præstiterit aut Amicos tantum, aut Medicos habere; ut sic vel cupiditas vivendi comitata securitatem fuisset, si nihil animum Amici correxisserent: vel occasio nem fati vitæ invenisset contemptus, si nihil Medicis corpori profuissent. Nunc etiam dum à duplice vulnere respiro, bis obligor: & solstrum Medicis meis; Charisterium Amicis debeo. Quorum si alterutrum remiserint, ostendam, pluris Medicos, aut Amicos faciam. Sed tu, obsecro, dum judicium hoc integrum est, in illam me partem signo aliquo pertrahere, à qua ipse voles stare. Hanc Epistolam in lectulo vix à languore expressi.

Prid. Non. Decemb.

EPI-
I. B. I.
oo. xciix.

EPI-

EPISTOLA XXVIII. Lovanium.

IVSTO LIPSTO V.C.

Historiographo Regio.

Adscribendi officium postliminiò tandem revertor, & ad amicissimas tuas litteras vacillante etjamnunc calamo respondeo. Acris, & verè fonticus hic morbus fuit: cuius etjam reliquias sustineo male pertinaces. sustineo tamen; nec arte, sed morâ consumendas. Ver amœnum quando nasceris? aut cur adulta hæc frigora non mitescunt? Deus dabit, ut cum ipso anno & mundo restituatur. Sed tu nobis priùs è languore illo trimestri evadas, ne Musæ, ne litterati omnes, ne pejus ego langueam. *Quid futurum sit, ego, inquis, suspicari possum, Deus scire.* Omnino: ita tamen, ne quid triste aut luctuosum suspiceris. Omen absit. Publicè interest, te non tantum intervivos vivum, sed & sanum perennare. Sic votum facio: imò ut ipse ego sanus & à languore meo liber, tuum succedaneus suscipiam. Utinam, utinam sic vicem tuam subeam! & quod tu malum fers, ego doleo; feram potius, quam doleam! minorem enim ferendo, quam dolendo pœnam sustineam: cùm etjam ferendo constantiae specimen, dolendo imbecillitatis exhibeam. Mediolani sum, & esse volo: Valetudo tamen facit, ut de aëre mutando cogitem, & de itinere prolixiore. *Quid enim si motu proficiam, & languorem hunc consumam?* τὰ φρίata, φασίν, ἀντλούμενα βελτίω γίνεσθαι. Itaque exspecto dum Æolus favet, & corbitam hanc transferat per reliquum Italia (ut sic dicam) æquor: atque jam quidem vela expandi ad occasionem. Restat, ut ruderem.

tem Principis, quo detineor, cum bonâ ejus veniâ solvam. Plura velim; sed & me quoque brevem imbecillitas facit supplebit, qui has fert, PETRVS GRASSVS, vir nostras, probus, nec ἀμουσος, qui cum RAPHELENGIIS Italiae nonnulla loca lustravit. Antecessorem PHILIPPVM SVERIVM plurimum saluto. Valetudinem tuam cura: & quod ipse ad te Princeps scripsit, parcias studiis utere, ut diutius utare. Mediolani, III. Eid. Ian. 100. 10
xcix.

EPISTOLA XXIX. *Mediolani.*

HIERONYMO ET LUDOVICO
SEPTALIIS.

Nisi prosapiam vestram, Viri Clarissimi, ob res
bello fortiter gestas antiquitus nobilitatam
Historiae traderent, à SEPTEM illis ALIS, quas
cognomine & insignibus præfertis, palam esset. Al-
lis, inquam, quæ veræ Nobilitatis, & inde Victoriae
symbolum præse ferunt. Num meo, aut novitio ali-
quo commento simò verò ritu aut usu Antiquorum?
unde fidem hæc verba mea trahent. Primum autem,
ut omnem sermonis pompam mittam, ALAS ad
transfero (et si Plauti ille versus separare vi-
detur: *Sine pennis volare haut facil' sit, mea ales pennas non ha-
bent:*) transfero inquam, & cum Pennis live Pinnis aio
confundi. Sic Apulejus libr. v. De Afino, ubi Venus
Cupidinem increpat: *Velim ergo seias, multò te meliorem
filium alium genituram, inquit, ut contumeliam magis sentias, ali-
quem de meis adoptaturam vernulis, eique donaturam istas*

PINNAS

PINNAS, & flamas, & arcum, & ipsas sagittas. Deinde libri. vi. postquam aliquoties Pinnae nominauit: Interea Cupido amore nimio peresus, & agrâ faciem matris sue repentinam sobrietatem perutenscens, ad armile reddit: ALISQ permicibus cali penetrato vertice, magno lovi suppletat. Bina loca produxi: utrumque de Veneris puerō, cui in altero Pinnae, in altero Alae tribuntur: scilicet pro iisdem. Sed hoc jam obtinui: bene est: viam stratam video, per quam ad metam paucis passibus progrediar, imò ipsis Pinnis ferar, quas (si Septem fuerint) victoriam denotare contendō. cui rei probandæ Commentarium veterem in Iuvenalem, à P. PITHÆO editum produco. is in Satyram 111. ad illud Pinnirapi] Pinis pavonum ornari solent Gladiatores, si quando ad pom-pam descendunt. Pinnirapes autem dicit Lanistas, ex habitu Gladiatorum: quia post mortem Retiarii Pinnam, id est, manicam rapit; ut ostendat populo se VICISSE. Aut ideo Pinnirapes, quia PINNAS IN GALEIS habebant, ut Lucilius:

Cum SEPTEM INCOLVMIS PINNIS reddit, ac recipit
se.

Etjam luculentiori testimonio opus? negabit, qui corticem modò verborum, nedum nucleus ipsum distinxerit. Sed jam ad Columnam Trajani Imperatoris vos duco, ut iplius incorruptæ Antiquitatis auctoritate difficultatis pondus sustentetur. In illâ observo Equitem levis armaturæ in cono galeæ Septem Pennarum crissam; manu autem sinistrâ Palmæ ramum gerentem: sed obsecro, quid aliud, quam utrobique victoræ suæ signum? Apulei locum densâ caligine pressum, hac occasione libero, ex

ex quo rem factam dijudicetis. Sub finem Apologiae:
 Si Philosophia honorem, qui mihi salute mea antiquior est,
 misquam minui: imo contra ubique si CVM SEPTEM POENIS
 eum tenui: si haec ut dico ita sunt; possum securius tuam ea iſti-
 mationem revereri, quam potestatem reveri. Desperatam
 scripturam COLVIVS clamat: vide an non egregie ex
 editione Romanâ veteri; & Manuscripto BEMBI re-
 stituatur, & ad mentem nostram: Si CVM SEPTEM PEN-
 NIS id est, si cum victoriae signo, quo ornatus incedo
 ac triumpho. Quam emendationem acceptam lubes
 meritò refero lo. MANGANO amico meo, & acerrimi
 judicij juveni. ISAACVS CASAVBONVS, qui eandē Apo-
 logiam recensuit, lectionem hanc etjam, sed diverso
 sensu depropulsit: quid si ego tibi sensum nostrum
 vulgari lectione? Aut de boscriptionis caussâ; & Victo-
 riæ typum Pœnis exprimam, sed breviter, & ipsius Fe-
 sti verbis. *Pennas*, ait, *Antiquos fertur appellasse Pœnas*
ex Græco, quod illi πεντη, ea quæ sunt volucria, dicant. Item
easdem pesnas, ut coesnas. Ecce Pœnas pro Pœnas. Sic enim
 promiscue aio scribi: & POLITIANVS in Miscellaneis
 affirmat, se *feelix* pro *fælix* in aureo numismate obser-
 vasse per E geminum expressum. E Quintiliano et-
 jam notum, *Antiquos Vocalem producendam gemi-*
nasse. Quod apud Noniū Marcellū legitur: *Næu. Ly-*
cur. Ut in venatu ritulares ex suis locis nos mittant pœnis deco-
ratos feris, videte an hoc faciat. Sed Festi locum respi-
cio, quem corruptum esse sine tormentis, ipso silentio
Viri docti confessi sunt: nec respicio tatum, sed quan-
tum ingenio possum, februuo, & quod scriptum est,
Pœnas ex Græco, &c. rescribo, Petnas ex Græco, ut origi-
natio constet: & sensus Festi sit: Quia Græci ea quæ
volucria sunt, πεντη dicunt, nostri quoque Alas Petnas
princi-

principiò appellarunt, nō *Pennas*: easdem etiam *Pefnas*; sicuti Coesnas loco Coenas, sibilo interjecto. Sed opportunè Cœnæ mentio, *vnu δ' ἔρη δόρποιο*: dēsino. De *Pennis* si rectè sensero, exposco *Pennam*: sin male, subibō *Penam*. Salyete.

EPIST. XXX. *Comum.*

IACOBO CALDERONO S.D.

QUÒ malūm sic repente abis?num ut sermonem condictum fugias? Scriptionem non poteris, ne si quidem Transalpinus fias, ac redeas in Belgas. Nunc quoque absens plecteris; ita non homines modò, sed ipse tibi liber Pater iratus est. Turba Bacchantium in ædes irruit: non accurris? In cellam penetravit, dolium pertudit: non succurris? Vile nunc vinum est. Anus ipsa, quam custodem reliqueras, lagena facta, & pænè cloaca, quæ proluitur. Percam, si per tres hos dies continuos sobria unquam fuit. Libero votum feci, ut ad mentem illa redeat: & tu ad nos. Mediolani, ipsis Liberalibus.

EPISTOL. XXXI. • *Mediolani.*

Ioh. Bapt. Sacco V.C.

ODiversa hominum studia & vota!
Liber adeſt, festisque fremunt ululatibus agri:
Turba ruit, mistaque viris matresque, nuruf-
que.
Et vulgus, proceresque ignota ad sacra ferun-
tur.

F

Ego

Ego in seriis sum; & tamen sic quoque sine hederâ, vino, libo ὄφυας; nec minori religione, quâm ipsi olim Orgiophantæ. Dum lapides & Antiquitates hodie luitrarem, Libero Patri sacrum secrevi, & ab interitu vindicavi. Hoc ipsum ad litteras veteres, ni fallor revocatum, tibi mitto, ut de pretio & ætate judices. Eiusmodi esse censeo, ut si restitutum concedis, industriae præmium: si negas, scriptionis laudem merear. Imò quid moror? si restitutum est, ætas pretiuū probat: si substitutum, pretium ætatem supplet. Comœdiā, vel potius centonem ex Plautō concinnavi, qui nomen & argumentum trahit ab eodem festo. Hunc exercendæ Iuventutis caussâ, simul & oblectandæ crastinâ luce dabo: veni, actionem judica, & LIBERALIA isthæc ad Voti formulam felicia transige: ego ad Autumnum transiens MEDITRINALIA celebrabo, ut vetus illud usurpem: NOVVM VETVS VINVM BIBO, NOVO VETERI MORBO MEDEOR. III. Nonas Martias. eo. 13. XCIX.

EPISTOLA XXXI. Gallaratum.

WOLFANGO THEODERICO, Comiti
Altemfio.

LVBE N S ad te, & Larem tuum reflecto animum, Illustrissime Comes, ut sermones nostros, studia, ambulationes, imò ægritudinem ipsam regustem, quâ velut sale quodam suavissimæ illius consuetudinis memoria adspersa fuit, ut duraret. Reflecto inquam, & sic nunc magis honorem meum intel

intelligo, postquam accepi: minùs mereor, postquam intelligo. Non amici tantùm loco sed pænè fratrii fui, rerum consiliorumque tuorum consors. In dicta, & facta vocatus sum; in ludicra & seria: jus dicendi, decernendi accepi. Et à quo? Hic sanè te ipsum & stirpem æstimare débeo: & hinc honorem datum. Te ipsum, quem inter Princes admirari facilius possum, quam laudare. Stirpem, cuius radices aliquas proximas stilo non invitus persequor: ut per rectam, ut sic dicam, lineam decoram eorum lustrem, qui te nobis & Reip. dederunt. A MARCO SITTICO Proavo tuo initium capio. Is bello inter CAROLVM V. & FRANCISCVM Regem orto, è Cæsareanarum partium ducibus fuit, manu strenuus, animo invictus: præsertim quando periculum aliquid, aut disserimen. In Ticinensi pugnâ Legionem Germanicam, robur atque unicum fulcrum exercitus Gallicani ductu auspicioq; suo, & Collegæ GEORGII FRONSPERGII dissipavit atque contrivit, clavis hostilis, victoriæque Cæsareanæ auctor. Sequitur AVVS WOLFANGVS THEODERICVS, summæ auctoritatis & consili Vir, qui Majores suos & Posteros cogitans, uxorem duxit CLARAM MEDICÆAM, sororem IOANNIS ANGELI (quisummus Pontifex postea creatus, nomen PII Quarti, habuit;) & IOANNIS IACOBI Marchionis Mariniani, belatoris sine amulo clari. Iam Pater IACOBVS HANNIBAL, heres ac simulus Virtutis Majorum, solus illustre stemma suum fecisset, si gloriæ sterile accepisset. Prima militiæ rudimenta Avunculo suo IOANNI IACOBO MEDICÆO optimo, ut dixi, Duci, approbavit: ita ut in ipsis castris

xii

F 2

per-

perquam brevissimè adoleverit quibuscunque periculis belli. Publicè hoc ipsum agnoscimus; sed & alter ejus Avunculus Io. ANGELVS MEDICÆVS , ille Princeps Sacrorum testari voluit , à quo Ecclesiastici Exercitus summus Imperator creatus est. Etjam me diffundo? Militem Germanum in Africam, pro Rege PHILIPPO II. duxit ; & rebus feliciter gestis, reduxit. In Belgicâ nostrâ eidem Regi , sub IOANNE AVSTRIÖ, & ALEXANDRO FARNEŠIO , Camillis nostri ævi , cum laude sui nominis bellavit , cum Patriæ nostræ bono. Antverpiæ in crepero illo rerum statu Præfectus, excelsi, & inconcussi animi signa dedit. Trajectum ad nostram Mosam, urbem pectoribus Romanis insigniter munitam, diu acriterque defensam, militum suorum vi penetravit, & gloriæ Farnesianæ principium dedit primus inter tot fortissimos duces. Verè scriptum est, *Fortes creantur fortibus & bonis: nec possidere tantas virtutes Pater ille tuus potuisset, nisi tam insigniter erit.* Sine ambitione dicam : Mars haud ausit hiscere , neque æquiparare suas virtutes ad vestras. Quod in milite Plautinâ seryus de hero per ludum jactat,

Meri bellatores gignuntur, quas hic prægnantes fecit,

id de vobis in proverbium apud Suevos , Gentem vestram, jam olim abiit, *Altēm̄os nasci armatos. Armatos, sed ad sedandos publicos iit̄os motus, non excitandos: ad comprimendos, non fovendos, quibus concutitur identidē & cōteritur Christianus Orbis.* Quod si ad Matrem , alteram originis tue partem te flectis, HORTENSIAM BORROMÆAM, ecce nova Virtutum materia & seges. Ea profectò quedam quasi Pallas fami-

lix suæ fuit, insignis castimoniaz & prudentiaz femina dicam, an heroina filia GIBERTI Comitis BORROMÆI: Matre MARGARITA MEDICÆA, aviæ tuæ paternæ sorore nata; Soror ipsa magni & sanctissimi Antistitis illius CAROLI BORROMÆI, mortalibus in exemplum dati Modestiaz ac Virtutis. Quid tu autem Illustrissime Comes?

Non tua Majorum contenta est gloria fama,

Nec queris, quid quaque index sub imagine dicat;

Sed Generis priscos contendis vincere bonores:

Elegantiam in Litteris: prudentiam in consiliis: fortitudinem in periculis. Litterarum quidem, scientiarumque omnium non te amor solummodo, sed cognitio quoque ornat. Prudentiam supra ætatem cum miraculo possides, usu acquisitam & multâ lectione. Ad bellum & pericula te voluntas, neccum occasio duxit; summa quoque facturum, si duxerit. Nec ultra in laudes tuas eo, cum & tua generosa modestia, & mea me ingenua verecundia refrænent. Hæc autem calantis calami impetu effusa, voluntati meæ testandæ suffecerint, & observantiaz promptissimæ, quam ALTEMIAE familiæ æternum consecravi. Mediolani. xii.

Kal Majas. 10. 15.

xcix.

Beatissima donatio nobis summi patris cunctam conseruans, præceps & exercitum tuncum isti olliſi pene alibi oblitus.

F3 **EPI**

EPISTOLA XXXIII. *Venetias.*

THOMÆ SEGETO S. D.

FAc sentiam Muriani te esse (est hoc pro illo tuo;
Fac sentiam Patavii te esse;) ut sic litterarū hoc officium mutuum sit, non mutum. Delectationem equidem ex eleganti tuâ scriptione capio: & hanc vicissim reddo, quod delecter. De Censorino quod gra-
tularis, admodum in crepero est: magis, si spes adem-
pta Manuscripti, quo omnino mihi opus, si quid ex
fide atque auctoritate velim præstare. Libros cudos se-
quar in labyrinthis errem. Conjecturis agam? teme-
rarium ac fallax. Quæ tanta ingenii fax, quæ doctri-
nam spissimâ nebulâ pressam illustrat? Sub tot seculo-
rum onere non verba tantum quassata aut sententias
video, sed universum corpus læsum. Ego tamen ma-
nus jam ad novi: & quædam etiam vulnera coiverūc:
quo l' restat, à lioris petendum; ut dies NATALIS ille
solemnis fiat: & CENSORINVS censeatur. Clarissimum
BENEDICTVM GEORGIVM ex me saluta. Patavii, m.
Eid. Quindecim. I.C.

EPIST. XXXIV. *Mediolanum.*

PETRO CANTONIO I.C.

BREVIS superioribus litteris fui, & nunc ero, non
defectu, sed copiâ puri amoris; quem dūm im-
petu quodam per animi hunc canalem conor
effundere, parcè & guttatum tantum stillo haud ali-
ter, quam si quis simpulum aut bombylum rapide
raptim-

raptimque invertat, ut evacuet. Rebullit enim in officio liquor, & impedimentum sibi creat ac obsistit: pariter omnino mihi scriptio ad Amicum. quam tamen (si serio perpendimus) ~~h~~ ^{ne} brevem esse praestat, quam fucatam. Spissis & glomeratis verbis amorem qui vestiunt, amici non sunt nisi sub persona latet, si penetras, simulatio; nec sine fuso veniunt stipatae illæ voces. Mihi affectus in propatulo humum non prostat; sed latet ardetque in irio pectoris penetrati: nec densos illos verborum fumos de tegillo meo mitto; sed scintillas & stricturas animi ardentes. Ita naturam amo: ita amorem probo magis quam ostento; probare autem non possum, nisi ut ostentem. Consilium, operam, studium parce promitto, liberaliter praesto. promitto rogatus, praesto mea sponte, ut potius dedisse, quam soluisse beneficium videar; si solvero quod non promisi. Sed ecce ut pene longus fio, dum brevitatem excuso: & tamen si am potius, quam quâ gratia scribo, id pratermisso videar. II. LIPSIVM frustrâ deinceps exspectamus: iter suum. quod hactenus distulit, ja plene sustulit & caussas habet, Valetudinem, etaté ipsum iter. Valetudinem, quæ infirma, nec promisso ejus viæ: etaté, quæ ingravescit: iter, quod longiusculū pro Valetudine & etate. Excusemus. violenti enim hi Tribuni decreto Lipsiano intercesserunt, à quibus ad Populum provocatio non est. Inscriptiōnem hanc veterem, Parmæ, ab ANDREA NAVGERIO, Anno 10. xxiv. repetam: nunc interschedas. BEMBI superstitem, ad te mitto; ut lucem aliquam ab explicatione tuâ capiat.

D.M.

E R Y C I P U T E A N I

L. AEMILL. VICTORIS

QV I PR IDIE NATALEM SVVM

VICESIMVM ET SECVNDSVM

PRVNA IN PENSILI POSITA VR

GVENTE FATO SANVM IPSE

NECAVIT SE. L. AEMILIVS

VICTOR PRINCIPALIS ET AELIA

VENERIA. FILIO PIENTISSIMO.

ET SIBI.

Mihi quidem *Pruna in pensili* non lucet. Quid si dicam, AEmilium istum malo aliquo fato mori coactum, innocentiam suam igni & incenso thure Diis testatum esse, atque ita ipsum se necasse? Ad Thuribulum enim sive acerram, Græcis *δυμιτρίου*, Pensile illud, scilicet vas referendum videtur. Dio conjecturam meam juvat, in Hadriano scribens, quem Latinè ex primo: Sed *Severianus* (Spartianus Servianum nominat, quem nonagenarium Hadrianus mori coëgit,) prius quam jugularetur, ignem poposcit, atque incenso thure, Vos, inquit, O Diu testor, innoxium me esse. Ego autem nihil affirmo, sed sententiam tuam exspecto ut sequar. Patavii, Prid.

Eid. Sext. 20. 10

AC

EPI-

M.D

EPISTOLA XXXV. *Patavii.*

CAROLO LAVRINO S. D.

HE v s tu, abjice moram, & pransum ad me ve-
ni. Seriūs voco? si pransus, tamen veni. Epulas
ponam, quas Esurio inhiet, nec Saturio sper-
nat. Amplius non invito, ne invitum; imò non in-
vito, ne ursisse videar. Nam si coactus veneris, vereor
ut stomachi tui indignationem mensa mea sustineat:
si non coactus, famem ut extinguat. Itaque si esuris,
cogere non te audeo: si (ignosce novo verbo) saturis,
non debeo. Veni tamen; nec Esurio, nec Saturio: ad
sermonem, non ad prandium, quem bene coctum, le-
pidè conditum dabo. Salve.

EPISTOLA XXXVI. *Venetias.*

ANTONIO TACHIO.

LANVGINEM tuā mi TACHI, sive elegantissimi
ingenii tui Florem, Phœbo, & Famæ debes. Tu
cave refrigeris: versus universi ejuscemodi sunt,
ut supra calumniam stare videantur. Epigrammata
inspicio? ecce acumina & lepores: Parodias? Iudiciū
& numeros: Varia? majestatem atque delectationem.
Quid dicam? dictantibus Gratiis hanc Triadem ex-
sculptam videri. Ad argumētum me trahis, & ipsam
Poëmatis medullam? Fateor, calorem alibi fervidæ
Iuventæ non latere, & amœniores quosdā ignes. quid
tamen est? si manum mentemque propiūs admoveā,
lucere potiūs quam urere sentiam. Ipsum qui nec lu-

G

men

men latioris animi patiuntur, Noctuae sunt, & Musis
 Charitibus que infensi. Longè aliter Philosophus ille Afer: *Versus, inquit, tanto sanctiores sunt, quanto aperi-*
tiores: tanto pudicitius compositi, quanto simplicius professi. Namque id genus omnia dissimilare & occultare, peccantis;
profiteri & promulgare ludentis, est. Quippe naturā Vox innocentiae, silentium maleficio distributa. Quid igitur veles
 aut nubas? si amare malum, non tam suspicionem a-
 moris dedisse, quām risisse amantis nexum videbe-
 ris, qui sic aperte de amore: &, si dederis, nihil me-
 ruisse reprehensionis, cūm Poëtam constet, si amans
 scripserit, veniam affectui, si liber, laudem ingenio
 depactum. Amori enim ignoscendum est, siquid libe-
 riūs luseris: Musis tribuendum, siquid lepi-
 diūs. Quod siquid tamen tam severo & iniquo judi-
 cio sint, ut morum specimen à versibus petant, & ju-
 veniles lepores, senili severitate constringant, eorum
 tu censuram in BONA AETATE non curassis, illud Ca-
 tulli tui occinens:

*Nam castum esse decet pium Poëtam
 Ipsum, versiculos nihil necesse est.
 In quam intentiam hos etiam Phaleucos meos ad-
 jungo, & postibus libelli tui adfigo.*

*Qui faces foculosq; amas AMORIS,
 Et dulcis VENERIS videre risus,
 Adesto: heic AMOR urit, & decora
 Ridet purpureis VENVS labellis,
 Ætas grandior ausit increpare?
 Nil frontem moror aridis striatam,
 Sulcis; nil capit is nubes, nibilq;*

Barba

Barba canitiem: quit esse CASTVS

In LANVGINE AMOR VENVSQ. CASTA.

Patavii vii. Kal. Augusti. 10. 10. IC.

EPISTOLA XXXVII. *Ticinum.*

HENRICO FARNESTIO V.C.

INTER me & LAVRINVM meum , Vir Cla-
rissime,

ερις τε φίλη, πολεμοί τε μάχαι τε.

Cauffa, uter te magis amet. Tu id sentis? tum judex
esto, & pronuncia , imò si non sentis : ut tuo potiùs
nostrī, quām nostro tui amore in veterem concor-
diā redigamur. Ita enim & victorem indicaveris,
& victum sedaveris, utrumque devinxeris. Vale, &
litterulis nos vise: me apud Perillustrem I o. V 1 N C.
PINELLVM: LAVRINVM apud me. Patavii, XIII.
Kal. Septemb. quem nefastum colo , 10. XCIX.

EPISTOLA XXXVIII. *Lovanium.*

IVSTO LIPSIO V.C.

Historiographo Regio.

DE Censorino quid speres? tumulū ossibus, non
medelā vñneribus paro; ac planē EMORTVALEM
facio ex NATALI DIE. Nam Scriptor ille haud
æger, sed fato functus , pulvereis & cinerosis fru-
stis non fructum ingenii sui , sed desiderium reli-
quit. Quòd si tamen restitui è latenti aliquo capu-
lo corpus scriptioris possit , reducere ab inferis spi-
ritum ausim, membraque postliminio mortis ani-
mare. Sed quoniam in sermone hoc funerario sum,

ab imagine ad historiam calamum transfero. RICCO-
BONVS vixit: in defuncti locū vocari te à Senatu Ve-
neto aiunt; & sunt, qui transalpum inspicantur; qui
nisi falluntur, insigniter ipse fallor. In Apulejo curio-
sa dubitatio me nuper cepit: unde Afni Aurei Inscriptio
unde prænomen *Lucius*. Hoc existimabam in
Metamorphoseon libris sicutum, adhæsse ceteris
scriptis. Veterum quis *Lucii* meminit? Illis Apuleius
citat̄ur, Apulejus Afer, Apulejus Madaurenſis, Apulejus Pla-
tonicus. Et ipse Apulejus lib. iv. Florid. non *Lucium*
sed *Apulejum*, se dicit: contrà in Metamorphoseon li-
bris non *Apuleju*n, sed *Lucium* ubique. ut luce liquidius
sit, à *Luciano* sive *Lucio* *Luciani*, hunc *Lucium* nostrum
esse. Verum igitur Scriptoris nomen, aut APULEII
AFRI esse contendam, & ubique præfigam, aut nova
Nominalia celebrem. Jam verò *De Afno Aureo* titulus,
haud dubiè à Miniatore eit. qui litteris exprimere
ornatum, quām ornare litteras maluit, ut colori par-
ceretur. Quòd si tamen hoc Epitheton usurpari va-
riè solet, ad præstantiam, dignitatem, pretium rei
cujusque indicandam, videtur quoque de Afno pos-
se dici: in primis de hoc Apulci, vel *ἀπολίκης*. Etiā am-
plius excuto? quid si auri fuerit gerulus? aut quem-
admodum lovem taurus mugientem continuit, sic
Afinus aurei & auriti *Myda* vultum? Gerræ german-
æ. Equidem si per auctoritatem D. Augustini, alio-
rumque ab illo ex voluntate lucidum & radians voca-
bulum è limine horum librorum eliminem, soliusq;
Afini nomen *CANIS* loco inscribam; quo curiosi illi
terreantur, qui si intromissi ad lectionē sint, ad tactū
& raptū mox manus efferant, & expilent ingenium
boni scriptoris. Id olim quoque factum. Fulgentius
Placiades

placiades de Prisco sermone indicio sit : *Choragium virginale funus* vocatur. Apulejus *Metamorph.* *Choragio* itaque perfecto domuitionem parant. Quæ verba in Apulejo hodie nusquam apparent. PETRVS COLVIUS in Notis opinatur, nec frustra, restituenda esse ad finem libri iv. ubi legitur : *Itur ad constitutum scopulum montis ardui: cuius in summo cacumine statutam puellam cuncti deserunt: tedaſq; nuptiales, quibus præluxerant, ibidem lacrymis suis extinctas relinquentes, dejectis capitibus domuitionem parant.* MS. Codex BEMBI integrum lectionem sic representat: *Choragio itaque perfecto, dejectisq; capitibus domuitionem parant.* Vale Clarissime Vir. Patavii. v. Non. Septemb. ∞. 15. C.

EPISTOLA XXXIX. Patavii.

HIER. FABRICIO AB AQUAPENDENTE.

RACEMOS tuos gustavi, Humanissime Vir, nec pro munere tantum, sed pro miraculo Primitias illas habui, quod expono. Inimicitias dissidiumque intercedere Nymphis cum Bromio illo Patre Natura voluit ; sciuntque Conviviorum Magistri, vini perniciem à fontibus esse: fontibus autem sacrum utriusque nostrum nomen esse. Iam verò & vini calor, & aquæ algor in novani cōcordiam coiverunt. dum & tibi Liber non vite, sed A Q V A P E N D E N T E S racemos produxit ; & mihi Librum PYTEALES mæ Nymphæ commendarunt : ut nesciam profecto an elementa mutarint, an Di degenerarint, nisi natura ipsa & calere deinceps undas velit, & vim vini intepescere. Tu cogita: & in remuneracionis conatum (non enim lubet dicere copiam)

G₃ Flores

Flores Fructusque hosce cape', quos maturo colore
præcoces manus artificis veritati similes explicuit.
Quid inquies, Flores Fructusque eâdem anni horâ?
pro monstro est, imò vicissim pro miraculo; nisi id
obsequio Geniorum tribuas, qui deferunt; aut virtuti
divinæ sobolis, cui deferunt; aut arbitrio pictoris, cui
hoc peccatum non peccatum est, sed ingenii argu-
mentum; si tamen ad interpretationem meâ pinxe-
rit, quam numeris ecce pando:

Felices Genii geruli, qui fertis A D V L T I

PRIMI QE Dona temporis:

Temporis Auctori nostra FLOREM QE piatum.

FRVCTVM QE vitæ reddite.

EPISTOLA XL. *Mediolanum.*

BERNARDINO CVSANO S. D.

FLUCTUARE te audio, quónam vitæ cursum diri-
gas; Mercurium, an Minervam sequaris. Consi-
lium meum admittis? Si divitias quæris, Mer-
curium censeo; si veras divitias, Minervâ. Plura pau-
cioribus exprimere non potui: & sciunt illi, qui à lu-
cro & fraudibus ad Musarum se otium receperunt,
meliores opes in pectore & animi scrinio strui, quâm
in atrio & in arcâ: multò faciliùs adquiri, honestiùs
possideri, tutiùs conservari. Non me diffundo per
molestias, pericula, & Mercaturæ sordes. Doctrinæ
illæ gemmulæ haud in remotis, & toto orbe dissitis
litteribus; sed pallidulis chartis, domi, leguntur: le-
cta nec casu possessori pereunt, nec vi tolluntur. Tu
dominus, quâm diu vivus: tu post mortem heres. Ni-
hil inde avaritia successorum distrahit: nihil aviditas
here-

heredipetarum participat. Animi thesaurus perpetuò partus.

**Αναρριπτον κτημα· οὐ παιδεία βέστοις.*

Etiam amplius te existimulo? imò , si huc flectis,
cohibeo potius, uti perseveres. Plusculum viæ super-
est: conficies, si non cum impetu , sed constanter in-
ieris: si properaveris, non festinaveris. Nam, ut recte
apud Agellum M.Cato, *Aliud est properare, aliud festi-
nare. qui unum quid maturè transgit, is properat : qui multa
simul incipit, neque perficit, is festinat.* Hinc in numismatis
veteribus ipsi Cæsares usurparunt, **FESTINA LENTE.**
Tu quoque, si studiorum fructum, si te ipsum amas:
Vale. Patavii, A.D. Kal.Octob. **IC. IC.**

EPISTOLA XLI. *Augustam Vindelicorū.*

MARCO VEL SERO V. A.
Reip. Augustane VII. VIRO.

MVSCA tibi fortassis videar MARCE VELSERE,
qui sic ignotus te compello , & ad Amicitia-
tuæ sacra nō irre po tantū, sed irrumpo. Igno-
sce, causamq; libertatis meæ Virtuti & Doctrinæ
tuæ adscribe, quibus ceu acri quodā Thyrso ita jam-
dudū percussum pectus gero , ut te & amare inter
optimos, & venerari inter ævinostri doctissimos cœ-
perim, religioso quodā cultu , & tacito affectu. V-
trumque alui & auxi, donec verecundiam magnitu-
do vicit, & exprimere coëgit. Id nunc facio : eoqué
liberiùs , quod viam aliquam stravisse SEGETVS mi-
hi visus, illo meo libello , quem subsequi sine pudo-

G. ris.

ris periculo posse videbar ; imò quem meliori aliquo argumento volebam præverti ; ut occasione validâ, aut integrâ uterer ad conciliandum. Itaque amotâ PALLADE, patieris, ut LIPSI & PINELLI (quibus bonæ me Musæ junxerunt) nomine te sollicitem; & sicuti campestres rivuli viam ad mare quærunt , & per amnem inveniunt : sic affectum hunc meum & cultum sinas per horum virorum copiosissimum amorem (quem reffluo æstu non ignavè recipucas) tibi allabi: affectum & cultum dico: & cum iis hunc Cōvivii apparatus: quem (si tanti erit) acris judicii tui undâ ablues, siquid laetæo fontis latice nequivit detergeri: si non erit, inter ejectamenta referes, & in litus, ut pro derelicto habeatur, expelles. Vereor equidem, ne aut nauseam à Coena istâ contrahas, aut dissimules: atq; adeò ne contrahas, & dissimules. Nam & ego scio quid ferculorum struxerim, & tu C. Cæsar is exemplo (Suetonius in eius vitâ refert) honorem hospitis cum stomachi læsione voles conservare. Quod ne facias rogo: imò (si fas in Amicitia hoc rudimento) jubeo. Vale Clariss. Vir, & tui amantem ama. Patavii, xvi. Kal. Octob. 15. IC.

EPISTOLA XLII.

EDMVNDO BRVTIO V. N.

EGO verò ALEXANDRVM SYNCLITICVM non amo tantum, sed observo: non laudo, sed admiror, hominem (ita Litteris faveam) multarum litterarum, & Iurisconsultum ad Majorum laudem, ad exemplum Posteriorum. Sermo ille hesternus quam lepidus,

lepidus , quām doctus ! ambulatio quām amœna,
 quām utilis ! mihi ne cum Lycœo quidem permu-
 tanda . Sed cur non cottidie sic loquimur ; aut sic am-
 bulamus ? cur non priusquam noctem hanc anni in-
 gredimur , ante veitibulum eius aliquantis per otia-
 mur . Convolve libellos ; & abaci ille pulvisculus pau-
 lulum quiescat , linearis ductu , circulari flexu , triā gu-
 lari anfractu ad lychnum mox arandus . Tecum ago ,
 te hortor . habiturus enim SYNCLITICVM ad arbitrium
 videor , si te habuero . Illustrationes illas Monumen-
 torum veterum ab ** editas remitto . Placuit inpri-
 mis marmor , quod Ravennæ se vidisse scribit : pudet
 pœnitetque tam marcidi luminis , quo libri LVNA
 nitet . Etiam rogas ? adeò ille facem arrogantis tituli
 effert , ut sub arbitrio creperi luminis errem : & tamē
 ne errem , evincere conjecturis meis caliginem cona-
 bor . Tria in marmore universo lustro & illustro : Ba-
 sm , Statuam , Horarium . Bafis lepidè leporis effigiem re-
 præsentat . An ad velocissimum Cælorum denotan-
 dum motum ? an ad indefessum vigilémque circuitū
 Solis : suspicor . idem enim hoc animal in sacris AE-
 gyptiorum litteris Vigilantiæ symbolum sive typus ;
 quod scilicet laxatis palpebris dormire , constrictis
 vigilare soleat . unde in proverbium ivit *Leporinus*
somnus , de eo qui soporem vigilans simulat , vel dor-
 miens dissimulat . Ad eum modum clarum est ; lucere
 noctu solem , dū non lucet ; ac interdiu sub nube dum
 hucet , non lucere . Sena illa informia vestigia non dis-
 cerno . Statuam incolæ HERCULEM HORARIUM ap-
 pellit at . Vereor ut vere ; sed ne suppositiciâ aliquâ no-
 menclaturâ . A tempore , & re ipsa arguo . A tempo-
 re ; quia difficile reor sine signo aut scripturâ ullâ in

secula germanum nomē ivisse, ac perennasse salvum: à reipsā: quia tantumdem est, Herculi horas, ac Venēri arma triguere. Magis est, ut Horus, qui AEgyptiis Sole est, fuerit, ea quo (ut Macrobius) *U* hora vingtiquatuor, quibus dies noxij conficitur, nomen acceperunt: quas etiam Solis filias Homerus dixit. Nihil tamen muto, cùm & Herculem AEgyptiis Solem fuisse, idem Macrobius ex nominis ratione suggerat, lib. i. Saturnalium, cap. xx. *Et rerera Herculem Solem esse vel maximè ex nomine claret.* οὐαλλὲς enim quid aliud est, nisi *ηγερία*, id est aëris, *κατέστη*, id est gloria? Quæ porrò alia aëris gloria est, nisi Solis illuminatio, cuius recessu profunditate spiritus occulitur tenebrarum? Præterea sacrorum administratores apud AEgyptios multiplicem Dei assertat potestatem, significantes Herculem hunc esse τὸν εἰ πάσι, καὶ διὰ πάντων ἡλιον. Et paullò antè: Sed nec Hercules à substantiâ Solis alienus est: quippe Hercules ea est Solis potestas, quæ humano generi virtutem ad similitudinem præstat Deorum. Plura conferri huc possent; tu verò hoc unum considera: duodecim labores Herculis, an rectè ad duodecim signa Zodiaci referantur. *Horarium* inspicio, quod concavum ex umbrarum ductibus conjicio: nec absimile à conchâ esse, in quâ Natura ipsa videtur horarum lineas, & fortassis, si penetramus, veris intervallis expressisse. Ad litus imus --- πολυφοίβοι θαλάσσαι? imò ad ipsos potius lapides tuos, sive illi in concharum imaginem migrarunt, sive è conchis in lapides induruerunt. Iucunda nec inutilis investigatio, si animum adjeceris. Ego in Horario pergo, quod si non concha, vas aliquod sive scaphium fuerit, cuius usum apud veteres reperio, Plinio indicante libr. ii. cap. LXXII. Vasaque horoscopa non ubique eidem sunt usui: in trecen-

tis

tis stadiis, aut, ut longissimè; in quingentis mutantibus semet
umbris. Marciano Capellâ lib. vi. Denique ipsa vasa,
que Horoscopa, vel Horologia memorantur, pro locorum di-
verditatibus immutata componuntur, alioq; gnomone ultra
quingenta stadia discernuntur, umbris pro locorum aut elati-
onibus celsis, aut inclinationibus insimatis. Solaria autē ista
ex ære plerumque: fortè & hoc ipsum. Stilus, sive
r̄vāuoor, qui & ~~oxi~~^{oxi} Græcè, in ipso meditullio sta-
tuebatur, & vertice distinguebat horas. Idem Mar-
cianus id indicat libr. citato: *Quippe scaphia di-
cuntur rotunda & ex ære vasa, que horarum ductus
stili in medio fundi sui proceritate discriminatur. Qui sti-
lus Gnomon appellatur.* Hæc sub adspectu emergen-
tis Phœbiscripsi, non tam ut sententiam meam
promerem, quam ut tuam elicerem. In ipso So-
le differemus. Salve.

EPISTOLA XLIII. Mediolanum.

LVDOVICO SEPTALIO V.C.

OMELLITÆ tuæ litteræ! amorem quæ mei ubique
cōmonstrant, paribus pæne versibus & signis.
Signis, inquā, tantū à fuco & fraude remotis,
quantum ipse abes. Expunctum nomen meum gau-
deo; non quod creditorem evaserim, sed quod muta-
verim. Debitor enim ego remaneo: & novo hoc vin-
culo, quod solvendo tu adjicis, magis obstrictus. Ille
beneficium contulit, tu continuasti: ille uni, tu duo-
bus cōmodasti. Itaq; illi mutui gratiā, tibi patientiā
moræ acceptam refero: nunc promittendo quidem,

H 2 paullò

paullò pōst exsolvendo. Vale. Patavii, viii. Eid.
Novemb. 10. 10. IC.

EPISTOLA XLIV. *Romam.*

CAROLO LAVRINO S. D.

AT RVM illum diem, miLAVRINE, Plautino lo-
co comburamus, & musteo Liberi liquore,
quem plenis vitibus Autumnus propinat, ca-
rinæ nauteam, stomachi nauseam, maris salsedinem;
sed & itineris pulverem, Solis ardorem, corporis su-
dorem pariter abluamus. Pariter dico: nam horum
omnium particeps ipse fui, dum minime fui. Hic
mans, & tecum hinc abii: in Fossâ Clodia quadriduū
hæsi: in Padi ripâ interdiu Solem, internoctru culices
passus sum: gurgustiolum rusticum subii: venatio-
ni interfui, ranas cepi; nisi tamen aucupium potius
fuerit, aut piscatio; arma sumpsi, in statione fui: Ari-
minum, & inde Romam curriculo veni. Num ut res
sunt gestæ, memoro memoriter? Somnium ne puta:
animo *κοινόπλο* fui, & individuus comes tui mali.
Quid autem? remedium transactis molestiis quæ-
ris? Aliud non reperio, quam NON RECORDARI: nisi
hoc ipsum malis, RECORDARI. Tu elige: ego accedā;
ut sic & sali pericula, & soli incommoda altissimā
Læthe demergentes, cogitationes omnes in futurum
præmittamus; imò verò in præsenti figamus, ne sol-
licita edaxque cura tranquillitatem animi prælibet.
Quorsum enim cupiditatibus nostris astuantes fe-
rimur, fortunam ex futuro corrigētes? Si opinionem
vincimus, semper & ubique beati: securi in periculis,
in

in miseriis felices. Sed ista linquo. Perillustri PINELLO cultas & argutas tuas litterulas legi. An placuerint ut peccasse mihi videare, quod eidem non scripsieris, quem certe scire debes affectu in te propum. In ædibus Cœsiis Inscriptio hæc Græca reperitur:

Η ΔΥΣ. ΒΙΟΣ. ΤΟ ΖΗΝ. ΓΛΥΚΥ. ΤΟ

ΩΑΝΕΙΝ. :: ΠΩΨΙΑ.

In Smetio vestro ^{non} expressum veremur malâ fide. Tu, quo^s, si occasio te huc duxerit, confer & corrige. Patavii, Prid. Kalend. Octob. ^{anno} xcix.

EPISTOLA XLV. Lovanium.

IUSTO LIPSI O. V. C.

PALLADEM meamicum litteris Mediolano adiuste misi, Clarissime Vir, misi autem per amicos: qui utinam certi saltem latores fuerint, si non celeres. Exempla me sollicitum habent, nec aliena. Ad Perillustrem I o. VINC. PINELLVM per SASSENVUM scripseras, & securè videbare, sed hic parum felici pede iter ingressus, ne litteras quidem vindicare à latronum rapacitate potuit. Eisdem & optimi adolescentis causâ, & magni illius viri te iterasse intelleximus, sed intelleximus; ita nescio quâ malâ cruce frustrâ denuò habiti. Iam vero & mihi Mediolani I o. BAPT. SACCVS litteras tuas à nescio quo Frisio promiserat, qui si cochlea esset, jam tandem adrepisset. Doleo & queror: itemque Vir ille Perillustris, qui ad non acceptas etiam respondit, gratiasque dixit. Mihi deinceps certum, Cursoribus uti, ne amicis utar, imòne periculum & amici, & epistolæ adeam. Si enim

onero, offenditur ille ferendo; & offendit pariter, si negligit, non curat, ut etiam importuni, ipsa libertate videamur, & ille præter culpam, itineris quoque iniquitatem sustineat. Prope Asculum in alveo fluminis Triunti Glandes plumbæ veteres, & litteratæ aliquot inventæ, quas mendici aut rusticani homines nunc nuper ruspando eruerunt. Formas hic aliquot habes, sed veras, & ad magnitudinem veram: quæ inseri Poliorceticis tuis poterūt, si recudantur. Tituli isti lepidissimi mihi visi, nec antea visi; FUGITIVI PERISTIS: ITAL. GAL. partim fortassè ad bellum sociale, in quo rebellantes Italici populi propè Asculum victisunt, partim ad Fugitivorum referendi, quorum oberrantes post varias clades reliquiæ (nū & in hoc ipso tractu?) per complures dices (ut Orosii verbis utar) frequenti indagine attritæ sunt. Sed à te docebor. ADMIRANDA tua à PHILIPPO PIGAFETTA nobili Vicentino Italicè vertuntur: quâ in re siquid admonendum putabis, operæ nostræ ne parcas. Itineris omissionem multi dolent, nonnulli carpunt, nos ferimus. Perilluistris PINELVS, cuius Lare me exceptum magis magisque gaudeo ac lætor, officiosissimè te salutat. Vale Vir Clarissime. Patavii, iv. Eid Novemb. 1510.

EPISTOLA XLVI. *Venetias.*

GEORGIO LIMAVERIO S.D.

AMARE te cogormi LIMAVERI, an dicam redamare? quia tam promptâ humanitate affectionum meum prævertisti, & verecundū hominem, dignum spontaneo amore judicasti: munere immu-

immunem. Quid reponam , aut rependam? An, quod facio , Amorem ? vincor : an quod conor , Munera ? spernis . Tu enim quasi digno dede-
ris , dando accepisse beneficium tibi videris : tum
ego præventus , quem facere amicum volui , in-
veni . Dupli itaque nodo teneor: muneris , quo
vinctus ; amoris , quo victus sum. Vinciri me pas-
sus sum , ut solvere di potestas ; vinci , ut amandi su-
peresset. Vale. Patavii , xiiii . Kalend. Decembr.
∞. 10. IC.

EPISTOLA XLVII.

I OANNI COTOVICO suo.

VI MINERVÆ mentio , sermonem meum libens , mi COTOVICE , imò judicium interpono . Minervæ ; quæ non ita pridem ruditatē stili mei passa , Modulos subire non recusavit . Apud Diogenem Laërtium Stilpon negabat Miner-
vam Deum esse , quod femina esset : quem in hunc modum irrisit Theodorus Cyrenaicus : πόδες δὲ τούτων οὐδεὶς Στιλπών ; οὐδὲ οὐδεῖς τὸν καπορέαν εἶπεν ; Ridiculè Stil-
pon: impudenter Theodorus: impiè uterque. Ille dum numen negat: hic dum obsceno sermone violat . Quia verò leviori scelere obstrictus vide-
tur , qui per ludum peccavit , quam qui per con-
temptum negavit , contra Stilponem sentio. Mi-
nerva , inquit , Deus non est. Quid ita ? Quia
femina est . Ridiculum acumen ! quia enim Dea
esse potest. Ego verò & feminam esse , & nihilo
secius Deum aio. Quid enim si mas & femina sit?

sic certè Deum Deamque eam dē, numen si tribuendū est, licebit affirmare: & Deam virum; & feminam Deum. In confusā Deorum Gentilium turbā impunē sic sentio; imò confidenter exemplorum patrocinio fultus. De Venere ac Lunā vide obsecro quid Macrobius superstitionis antiquæ scientissimus, non senserit, sed expresserit, lib. i i. Saturn. cap. viii. Nonnullorum, quæ scientissimè prolata sunt, malè enuntiando corrumperimus dignitatem. Ut quidam legunt:

Discedo, ac ducente DE A flammā inter & hostes
Expedior.

Cum ille doctissimè dixerit: Ducente DEO, non Deā. Nam ḡ apud Calvum Acterianus affirmat legendū, Pollentemq; DEV M Venerem, non DE A M. Signum enim hujus est in Cypro barbatum corpore, sed veste muliebri, cum sceptro ac staturā viri. Et putant eandem MAREM ac FEMINAM esse. Aristophanes eam ορός τον appellat. Levinus etiam sic ait: Veneram gitur ALMVM adorans, sive FEMINA, sive MAS est; ut autem alma Natura est. Philochorus quoque in Attide eandem affirmat ss. Iurum. Nam ḡ ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili, quod eadem ḡ M A S existimatur ḡ F E M I N A. Ego si his verbis commentum tibi meum in probavi, jure finio; ne ostēatio accedat: si minùs, tamen finio; ne in reuibili traxisse morām videar. Salve.

EPISTOLA XLVII. Patavium,
a. 1510. ad Arnaldum Cathid. S. D.

NO's quidem cum insanientibus furimus, qui divites illos felicitatis titulo dignamur, infelicissimos hominum, nec nisi cum extremā plebe cōparandos

rādos. Pauper enim nō tantū ille, qui parū; sed & qui multūm habet, si plus desiderat. Omnis enim cupido acquirendi, ex opinione inopis venit: Ut pauper sit appetendi egestate, dives non egendi satietate. Satietas autem illa à rectā ratione gubernata, in Mediocritate consistit; quam AVREAM Poëta appellavit. Sed Platonicus ille ex eādem Sapientiæ arcā signatam hanc sententiam promit: Etenim omnibus ad vita munia utendis, quicquid aptam MODERATIONEM supragraditur, oneri potius, quam usui exuberat. Vnde ex ipsis etiam opulentioribus ii potissimum vulgò laudari solent; qui sine strepitu ac ostentatione rem magnam administrant; qui ad argumentum modestiæ imaginē quārunt & colorem Mediocritatis. quam qui excedit, & quē mihi pauper est, ac qui non accedit. uterque enim à recto tramine discedit, ac delirat. Cùm verò studio excedens ille, & effrenata cupidine; hic non accedens necessario desiderio peccet; cur ludibrio ille magis cui deest, quam cui superest? aut cur gloriosum potius abundare, quam egere: cùm etiam meliores non utendo; si per defectum non utamur; quam abutendo simus, si per copiam abutamur. Coactaenim egestas avaritiæ non subjecta est: voluntaria prodigalitas sub virtutis specie fœdior est. Nos mi CATHI, sic sentiamus: nec ultra Fortunarum nostrarum septa, queis non angustè stringimur, desideria extendamus. Sultitiam patiuntur opes. Venciiis, xi. Kalend. Decemb.

.oo. 13. IC.

I EPI-

EPISTOLA XLIX. *Mediolanum.*

Io. FERNANDEO VELASCO,
Comestabili Castella.

QUÆ duæ res ad pelliciendum hominis animū plurimū possunt, magne Princeps, ex arctissimè me tibi obstrinxerunt, Beneficiū, atque Virtus. Virtus publicitùs : Beneficium meā priuatā causā. Hoc si considero, quid dici fierique benignè potuit, quod non accepi? si illam, Doctrinæ, Elegantiæque priscæ vindicem, quis te non agnoscit? Audis, & admittere cogeris vetus encomium:

*Et spes & ratio studiorum in Cæsare tantum:
Solutus enim tristeis hac tempestate Camœnas.
Respxit.*

Sed quid ego in laudes me effundo? Etenim si Virtutem verbis ornavero, cum multis fecero : si Beneficium, quod multi. Nam publici favoris honoraria signa & privati in te cultus largiter exstant. Quod si tamen è multis me unum patieris, buccinator, quâ voce, quâ stilo, accedam publicarum & privatarum laudum. Potissimum autem privatarum : non quod commodum meum honori tuo anteponam; sed quòd privatim cæteris videar magis obligatus. Alii quippe suo: ego alieno merito (si tamen Clarissimus Lips. i v.s censendus alienus) gratiam tuam obtinui: quam ne absentia hæc mea minuat aut remittat rogo; sed quemadmodum Phœbi radii remotiora quæque sidera minùs involuunt: ita flammulam hæc ingenii mei tuo lumine accensam, sines, post ^{g. l. a. x. v.} huc ortum,

ortum; longius paullulūm scintillare, donec fatali conversione (Deus concedat) redeat ad suum Solem. Is tu es, & futurus, magne Princeps. Patavii, xvi. Kalend. Ianuar. 10. IC.

EPISTOLA L. *Patavii.*

ALEXANDRO SYNCLITICO.

STUDIA in Museo te habent, mi SYNCLITICE; an negotia in foro? Epistolam & libellum ad magnum illum virum hic vides; sed illam apertā, ut legas, & an sic pro dignitate scripserim judices: hunc convolutum tantum, & sine libri formā; quam, ne oneri tabellario simus, ab ipso Antistite capiet, aut non non capiet, dignus, sive indignus: haud aliter quam vestem filii, qui in alienam familiam adrogātur. Lator ipse adsum: & hæc absenti nō dico; præsentis non scribo. Auribus tuis si molestiam dare non potero; oculis dabo. Absens igitur salve. 111. Kal. Ianuarias. 10. IC.

EPISTOLA LI. *Bellunum.*

ALOYSIO LOLLINE,

Belluni Episcopo.

CONTRA vulgum hāc Epistolā nitar, Reverendissime & Amplissime Antistes; & apud virū magnum sine verborum fuco aut ambitu, ipso pectore loquar. Luculentum tuum de me judiciū nō ore prolapsum, ut gratiæ suspicio sit; sed stilo expressum, ut fides tabulæ sit, mirūm me quantum afficit,

cit, imò excitavit, non dicam ad amandum, id enim antehac tacito quodam affectu feci: sed ad demerendum, quem Dignitate, Virtute, Doctrinâ inter paucos hodiè admiramus. PALLADEM meâ hac caussâ ad temitto, parvum per se munus, sed ab animo mittetis magnum. Palladem inquam, eamque MODVLATAM: ut Septem Vocum blanditiis capiaris. Num metuis? frustrâ: Vlices mihi esto, & vacuas paullisper aurium ædes dato: non Sirenum concordiam, sed ipsius Minervæ deprehendas. Vale. Patavii, xv. Kal. Ian. 10. xcix.

EPISTOLA LII. *Augusta Vindelicorum.*

MARCO VEL SERO V.A.

Reip. Augustanae VII. VIRO.

NIHL descriptionem illam moror: illum elegatis penicilli colorem, qui nimio etiam Modestia candore temperatur. Novi, novi te; et si parùm videor novisse. Famæ tuæ te fax illustrat, & conspicuum mihi facit. Ego contrà, qui ex ignorantia tenebris vix pedem movi, verborum velut funalia quædam accendo, ut videar atque innotescam. A libellis meis cur id præsumam? nimis crepera illa lux est, & in ipso tantùm ortu, quam ab ortu nubes mox involuat atq; auferat. Sed auferat: ego amicitiâ tuâ, quam offers, vivam, & abundè inclarescam. De inscriptionibus quod hortaris, id tibi, GRVTERO, & publicæ utilitati debeo magis, quam expendo. Pauculas enim, quas quidem aliis prætermiffas competri, enotavi: eas corradam, & libens conferam, nō tam

ut

ut copiosam liberalitatem, quām promptam voluntatem probem. Etiā de studiis addo? ^{et dīc orationē}. Manus sinu conditas gero, & ab editione animus refrixit. Ad Clarissimum LIPSIUM (quod sine molestiā aut incommodo tuo sit) sapiūs istā viā litterulis meis curram. Vale Doctissime & Humanissime vir. Pavii, Prid. Eid. Decemb. 15. i. c. 1.

EPISTOLA LIII. *Castelfrancum.*

JACOBO NOVELLO V.N.
S. D.

QUAES tibi caussa, NOVELLE, ad docti culmina montis?
Vndique Laurigerum sollicitare gregem?
Scilicet is MAVROCENVS compescere Phæbus.
Ipse negat, Virtus, Pierides, Charites.
Nec turbam querunt, sed fortia facta nitorem:
Ut lepidum querit fortia facta melos.
Ergò tu sume hoc pensi: tu parce labori
Vnus multorum, cui leuis iste labor:
Splendida sic puro reddetur carmine Virtus:
Laus & laudati profluet ore viri.
Hunc talem te meritò censemus, non tantùm laude
divitem,
Sed vatem egregium, cui non sit publica vena,
Qui nil expositum soleat deducere, nec qui
Communi feriat carmen triviale monetā.

Itaque turbam cur admittas? Omnia, & à quovis in illo viro laudari posse quisque novit: ritè tamen laudare fortasse non noverit. Quare quamvis dicendo nemo erraverit; non ubique tamen ornaverit. Erit,

I. 3. qui

qui prosapiam, & natales longâ serie retexet: alius, qui divitias prosequetur, qui formam, qui corporis vires, quibus, uti non privamus heröem nostrum: ita non censemus; ne tam honorem, quam honoris aliquam umbram explicuisse videamur, neglectâ amplissimâ luce. Nam illa quæ attigi aliena esse, & à vero encomio removenda, quis sanus aut pro sano neget? Genus respicis? id sibi Majores vindicant: opes? casu pendulæ: venustatem? fugitiva est: robur? ab ætate mutabile. Tu animum mihi lauda, id est, ipsum hominem, ipsum virum: qui si Iustitia tenax, civibus suis pari imperio & virtute non præfuerit plenissimum laudis testimonium meruisse dicatur. Ridiculum sit, si quem producam publicè, & à veste laudem; quod ea lepidè lacunata sit, decorè stria-ta, subtiliter intexta; quod è bysso, è purpurâ, è coco, quod Phrygia, aut Attalica. Nam eumdem si hominem ad balneum deduxero, aut ad lectum, veste simul spoliavero, & laude. Corporis vero & Fortunæ bona vestimentum dumtaxat animi sunt; quia extra animum, tam ponifilia, quam sumi. Non omnem igitur laudem gloriosam homini illustri esse vides, nec à quovis profectam, sed à laudato. Hunc talem te, ut dixi, censeo: & salvere jubeo. Patavii. vi. Decembris 15. IC.

(. . .) EPISTO-

EPISTOLA LIV. *Venetias.*

GVLIELMO ATHENIO suo S.D.

HERI in Noniano BEMBI fui, quò cum CATHIONO nostro Inscriptionum antiquarū causā iheram. Sed tu obsecro successum itineris audi. Postquam ad octavum lapidem pervenimus, abducti sermonum dulcedine, & pedum vitio, in viam aviam imprudentes sumus, ubi nec Herma nec Priapus ullus, qui monstraret iter. Circumferre oculos cœpimus, & ecce ad lævam inter arbusta tuguriolum quoddam accessimus, & dum intramus, muliercula altioris ætatis occurrit, suique nescio an casulae sollicita, limen occupat. cui ego, quæsto te mater, inquam, quò imus? At illa nō in urbana, Vos sciveritis inquit; ego divīna non sum. Atenim, inquio, quà in Nonianum iremus, dicere volui. Tum illa subridens, mox per agrum suum semitam ostendit, *δαχτυλοδεκτως*: jufitque ut persequeremur persequimur, & in lucū nescio quē imus, ac paludem. Inde stillantibus soleis in proximam villam, & in ipsum tandem Nonianum. Ut lapides enotavimus, redimus in viam, & itineris semisse confecto, cibi causā rectum villaticum subimus. Offertur durus & noctis colore panis, & villum villâ dignum, taliq̄ue pane. Nobis jejunis ac fame pereuntibus cerebrum lovis fuit. Etiam quāris? mi ATHENI: sic modicè refecti progredimur; sed mox laſitudine fracti, cùm ægrè traheremus gradum, diverti in proximam casam statuimus, ibidemque pernoctare. Rusticani paupertatem suam objiciētes, facile impetrarunt, ne jejunam & incommodo

I. 4 dam

dam noctem haberemus. Quare tenebrante jam
senitam vespera, Patavium pergimus: & post pri-
mam vigiliam noctis, in urbem admittimur. Tum
conversus ad suavissimum meum comitem, Nihil te-
mor in quo, mi CATHI. Sic divulsi sumus: & uter-
que ex templo (imò verò ex itinere) domum, & ad
lectum. Nunc vires redierunt, & lubuit hujus itio-
nis meminisse. Sed tu quam primum ad nos reverte-
re, & salve. Patavii. Nonis Decemb. $\infty . \text{IC} . \text{IC}$.

EPISTOLA L'V. *Mediolanum.*

VIDO NAZENTIO I.C.

Si jure agis, mihi certum est vadimonium desere-
re; ut sic unâ plagâ absolvatur. Nam etsi animus
dictat me scripsisse, litterarum tamen fallor. Ca-
lido quodam impetu scribo, qui ubi deferbuit, ipsius
pænè scriptio memoria evanescit: & scis tu quoq;
quām multis, & quām multa scribam. ubique si ex-
emplaria reservem; si exaratos sermones recalcem,
quis finis? Nec otium, nec animus est. Vti flosculi
quidam momento oriuntur, & simul pereunt: sic fe-
stinata illa scriptio debet exaranti sub calamo, legen-
ti sub oculo evanescere. Vale. Patavii, Postridie
Kalend. Ianuar. $\infty . \text{IC} . \text{C}$.

EPISTOLA LVI. *Romam.*

FLORENTIO ET CAROLO

LAVRINIS S.D.

PRo delitiis litterulas vestras habui, nobile
par fratrum; nec satiare animum potui tam
suavi

suavi & nectareo liquore. Gratulor, ita me Deus amet, illum congressum vobis, & gaudeo vestrâ causâ, quorum interest, à puero domi junctos, foris non disjungi. Sed quando erit, ut & ipse interveniam, triademque amœnissimi contubernii constituam. Hoc votum meum, quo Deorum incerare genua certum est: qui si spem meam protollent, abjectis omnibus consiliis, flamnam imitabor, viamque ad vos, si non inveniam, faciam. Sed tu quæso paullulùm mihi aures leorsim accommodami FLORENTI. Primùm gaudeo me à te amari: deinde & laudari. Laudare enim non potes, nisi ames: & gloriari ipse potero, si tu laudes. Gloriari inquam, cùm, sive judicio laudes, caussani amoris, sive affectu, fructum intelligam. Titiavit me (cur negem?) Clarissimi I. LIPSI magnificum, & ut tu aies, justum testimonium; nec amplius inquiero, aut invertigo. Quæ volui, audivi, & sic audisse lat est. Sat etjam hæc scripsisse. Vale; imò valete. Patavii, xiv. Kal. Ian. 15. IC.

EPISTOL. LIII. Lovanium.

IVSTO LIPSI V. C.

Historiographo Regio.

IN FORTVNVM tot epistolarum resarisse mihi videor, Clarissime Vir, tam lerido & liberali missu: in quo cum litteris etjam Musas tuas ad me ire voluisti. num excitandi mei caussâ? O dulces stimuli etiam in ipso cursu! re tamen voluisti: & eunt nunc ex (quod de litteris nostris scribis) quò forte nō mituntur: ad amicos. Quid dico eunt? imò verò iverūt.

K

Latini

Lætitiae & auspicii illi ignes indices in Italiâ nūc circumquaq; lucent: & magis dii ætherei q; ingeri tui flamma. Beatos Principes! felices ignes! quos utrosq; Phœbeio hoc radio æternum illustras. Nos felices, ac beatos! qui sic quoque per te gaudio publico interfui mus, dum minimè fuimus. Absentes enim vidi mus, quæ solenniter illic acta: nec quicquam à perfecta lætitia absuit, nisi quod in amplissimo illo consensu, te

Florem illibatum populi, Suadæque medullam
 audire non licuit, nec oris illum ornatum subnotare,
 venerari, & acclamationibus prosequi. In Senecâ
 Philosopho nunc te esse, gaudemus & Senecæ, & pu
 blica caussâ. Emolare cœptum opus; ut puram & de
 fæcata in illam Sapientiæ crateram brevi hauriamus.
 Ego quid faciam? quod apes, confero & stipo Do
 ctrina liquentia mella. quæ carptum eo per hæc prata,
 & ab hoc Eruditorum flore PINELLO. Subinde è Mu
 sarum amœnis viretis ad mare eo, aut ad litus, ut sic
 dicam, Legum: & ruptas disiectasque naufragi juris
 tabulas rimor. Censorinum, cui criticam aliquam
 manum destinavi, manuscriptum repperi in Biblio
 theca Vaticanâ. Ipse, aut per amicos inspiciam, & va
 riantes lectiones adnotabo. Vale. Patavii, Ipsiis Kalé
 dis Anni 100. Secularis sacri, qui prosper tibi Vir
 Clariss me vertat.

EPISTOLA LVIII.

VIGLIO OMIO suo S.D.

Notio te occupare mi Vigi, amicum duxi fac
 ius; imò verò utile ac conducibile in illâ urbe, in
 illâ

illâ ætate. In urbe inquā, ubi Lycurgus ipse, Comici verbo, ad nequitiam possit adduci. Sirenes illic, & Lithophagi; Scylla ipsa, & Charybdis: nec iratā Miner- vā coluit, qui à recto cursu non abreptus. In ætate autem, quæ, ceu agilis cymba, æstu & fervore sanguinis fluctuat. Ego onere te sistam, & firmabo, quod impo- situm eo; aurei hujus, quem mitto, libelli lectionem. Videbis ab ipso sapientiæ profundo omnium cupidini- num remoras, omnium pravarum affectionum rudé- tes. Lege modò, & paulisper animum à publicis spe- etaculis abduce. Litteras ad te Româ accepi, quas hie dabo. Vale; & veni, & nos ama. Patavii, III. Eid. Ian.
∞ . 13C.

EPISTOLA LIX. *Bruxellam.*PETRO PANTINO, *Decano.*

Oblivionem qui silentio proximam dicunt, aut malè dicunt, aut sine caussâ silent. Ego enim tantò veheinentius te amavi, quantò longius à litterarū officio abstractus sum. Post discessum tuū, urbis aërisq; mutandi consiliū cepi: cū Principe egi, & impetravi, ut Pataviū ad Perillustrem Io. VINCEN- TIVM PINELLVM (à quo vocatus eram) commigrarem. Quicum ita hactenus fui, & sum; ut si quis Censor Iulstrum condens me roget, respondeam: **E X A N I M I M E I S E N T E N T I A.** Sermo nobis quotidie de litteris, atque litteratis: ex quo quantam utilitatem, jucunditatemque capiam, tu pro Viri illius eruditione, meoque desiderio existimare potes. Ac nul- perrimè quidem de THEMISTIO mentio, cu- jus Orationes aliquot necdum typis excusas pe-

neste esse dixi. Ille me extemplo rogare de numero,
de quae scripturâ, & ætate libri. Hæsi, & incuria meam
deprehendi, quod diligentius singula non inquisie-
ram. Itaque patieris Doctissime Vir, ut nunc absens
hanc culpam emendem, Patroni mei causâ, ut sciscer-
ter, ut sciam. Quod si impetro, & devinctissimum me
tibi amplius oblitrixeris, & ab illo gratiam quoque
inieris. Vale, & ubiores litteras exspecta. Patavii.
Kal. Feb. 10 c.

EPIST. LV. Lovanium.

HVBERTO AVDEIANTIO S. D.

Ego te non amem? in istâ domo? apud istum vi-
rum? Sed tu à te ipso caussam quoque das, qui
tam eleganter, tam amicè ad me, tam magnifi-
cè de me scribis. Colorem hercules non tenui ad istas
laudes, quibus adjicere præfessione debuisti. Supra me-
ritum meum is, & quam in me laudas Modestiam,
laude oneras Num fortasse vetus istud tibi in mente:
præstat vituperare, quam frigidè laudare? Ego contrà cum
Euripide sentio:

Bāpos tex̄y r̄w̄d̄ s̄ḡl̄ d̄h̄l̄ ōḡl̄ l̄l̄
Quare, si me audis, desine laudare, amare ne desine.
 Nam etsi Apulejo scribente, sic naturâ comparatum est,
 ut quem laudes, et jam ames; malo tamen amicitiam, quam
 encomium; quia ipse, quem maximè amo, difficilius
 laudo amo autem, quem laudare facile possum. Ta-
 lem te video, mi AVDEIANTI, in elegantissimâ illa E-
 pistola tuâ, imò talem te habeo & amplector, jam
 deinceps meum, ego jam deinceps tuus. Vale. & fœ-
 dus

dus mecum ini frequentissimē scriptionis. x. Kalend.
Febr.

EPISTOLA LXI. *Roman.*

NICOLAO MICAVLTIO V.N.

QUOD me amas, magis à naturā tuā, quā m' me-
rito meo: quod mea æstimas, id verò ab amo-
re eit. Nam si me aut measpectas, nihil te di-
gnum, aut aliorum lectione misi. Tu verò quia tam
constanter contrāsentis, dabo aures, & patiar, ut
quod ipse effectu promererī non potui, tu conatui
tribuas. Mihi stat sententia Vrbem visere: ac nisi cuni-
PINELLO, non impedio, quin prospicias. Multū te
posse scio apud Proceres illos & Magnates: & velle
quoque, ex illo, quod profiteris, studio alios juvandi.
Vtinam tales isti, qui rogantur, qualis tu qui rogas!
Tardi plerique ad auxilium, ne dicam mortui. PHI-
LIPPVM PIGAFETTAM novi, déque eo ad LIPSIVM quo-
que scripsi. Virum non amo tantū, sed observo: &
occasione quæro affectum hunc probandi. Iter Ne-
apolitanum benè vertat. Vale. Patavii, 111. Non.
Febr. 100. Doctorem LOMBARDVM salvere
jubeo.

EPISTOLA LXII. *Forum Iulii.*

IOH. BAPT. PETREIANO S.D,

VT ii, qui ardore æstuant, modico potu sitim fo-
vent, non levant: sic à litterularum tuarum le-
ctione cupidior recessi. Quid tu, malūm! tam

brevis in scribendo? imò tam argutus? Ceu copioso & robusto me cibo pastum, condimentis quibusdam, & ipsis bellariis adoreris & irritas, cùm maximè tamen esuriam. Cogor dicere: ferculorum ordinem Magyre aut nescis, aut dolo malo mutas. Hoc fortassis agis; ut soleas, raso ventre, poscam, & discedam? an excusabis? & caram annonam dices à sterili scriptoris campo? Sed enim, ut boni Patres familias succidiam domi paratam ac suspensam habent, à quā defetum macelli suppleant: sic tu, cùm aliud deest, à studiis tuis pete, quo instruas has epulas Epistolares. Magni illius viri nomen ignotum istic, ne dole: quia non idē ille minor; sed major tu futurus, si absente hoc Sole Eruditionis radios aliquos miseris & strictruras. Sic enitere mi PETREIANE, & gnaviter in studiis esto, dum otium, & artas. PLEIADEM meam hīc habes, quam videre tantopere desideras, sed velut nubilosum sidus. EPISTOLÆ etjamnunclarent, nec nisi trepidè easdem producam. Nam profectò, ut hoc seculum est, *εἰς μετάνοιαν ἐπέχει*, quisquis paullò junior typis lēse prodit. Tu amorem mei serva, & litteris testare, magnis magnum, idque frequenter. De Romano itinere cogitare serio coepi: nec protollam amplius. A SEGETO & CATHIO amaris. Vale. Patavii, vii. Kalend. mensis, quem patri Romulus dicavit.

eo. 150.

EPI-

EPISTOLA LXIII. *Romani.*

Io. BAPT. HANSENIO S.D.

Litteras meas quod exspectas, mi Amice, amicè fas-
 cis quod exigis, nimis amicè. Libertatis æquili-
 brii quoddam censui, tu nunc imperii gravitate
 præponderas, & tuo nutu Puteanum trahens, exigis,
 quod debes ipse, vel solius itineris caussâ. Etiâ mussi-
 tas? at vide, ne iniuriarum agam. Ius si in me habue-
 ris, antestari decuit, priusquam sic raperes. Testes
 aberant? meam ipsius auriculam tetigisses exarante
 manu. Admonendus namque eram, ut venisse te sci-
 rem, & exceptum. Quod utrumque cum demum
 præstiteris, in altercatione calamū amplius non figo:
 quin promoveo, & reliqua epistolæ tuæ peragro. Li-
 brum meum placuisse gaudeo; imò & in hoc te quo-
 que à non nemine dissidere. Artem alii nudam inspi-
 cere malunt, & Minervam Veneris ornatu introduci.
 Hoccine meum? Et tamen (ignoscite castæ Sorores)
 passus sum mihi persuaderi. Ac jam quidem ad incu-
 dem libellum refingo, refingo, & attero largâ judicij
 quadam limâ; ad usum, non ad pompam, nec probâdi
 mei, sed docendi. De Censorino beas: & pñè in ma-
 nu tuâ est, ut probi scriptoris Manes Februum à me
 sentiant. Ipse enim Censorinus, & quod Sidonius *il-*
lustre volumen de Die Natali appellat, interiit: si quid su-
 pereret, cineres, aut certè epitoma. in quâ esse
 tamen quod in publico utile, injurato credam.
 Restat, ut manuscripto hoc fruamur. Tu cogita, cui
 ad thesaurum illum Antiquitatis aditus patet, & mi-
 hi, publicæq, utilitati fave. Si copia conferendi, sunt
 istic

istic fratres LAVRINI, digni isto nomine, & si amorem
spectas, oculi mei, qui gratam & diligentem operam
dabunt. Eosdem in amicitiam tuam duco, Belgas ad
Belgam; eruditos ad eruditum; probos ad probum:
quod tu cognosces: & simul hoc amoris vitium, quo
Deum me facis quasi quod velim, possim. Scin' quo-
modo? ut ne ausim quidem, quod possum, ne velim,
quod ausim: ita multorum curvajudicia subeunda
sunt; ut & benè & malè scribēdo pecces. Siquid enim
benè, invidia præsto est; si quid malè, convitia & con-
temptus. De conditione melius ominare Attalica e-
rit, si obdurabis & pervinces. In primâ statim superfi-
cie terræ metalla non fodiuntur, sed in venis ipsis ac
medullis. Et quemadmodum novus & è cespitibus u-
liginosis aggestus agger incessu difficilis, sed ita sub
pedes indurat semitāmque præbet: ita via ista lucri &
Honoris, quam calcando lenies, & strues ad culmen
(quod præsagio) Bonæ Famæ. BARCLAYVS noster in
hoc quoque cursu Sophiæ quadragis: à quo & nuper
me productum è carceribus audio in Dialogi (ut tu
vocas) circum. Sed librum mihi videre nondum con-
tingit. Tu eum vidisti? legisti? nostros sermones no-
bis loquere. Reverendissimus CVYCKIVS quando, &
quâ paret domuitionem scire velim. Vale Patavii,
III. Kalen. Ian. 80. 10 C. Libellos dabo operam ut
mittam, & per amicum. Is, nisi fallor, SASSENVS no-
ster erit, aut ipse ero.

EPI-

EPIST. LXIV. *Mediolanum.*

LUDOVICO SEPTALIO V.C.

NVm probus diligensque interpres aut conciliator fui? Amicitiae Sadelerianae ecce tesseram ad te mitto, firmam & fidam, si consideras. Et jam hæres? suscipe; adspice SADELERIVM ipsum. Completere virum; Sacrario tuo excipe; & Hospitalis Iovis födere arctius etjam junge. Hominē habes Sculporem inter eximios: hominem probum, lepidum, &, ut uno verbo dicam, Belgam. cui omne officii & benevolentiaz genus ita exhibebis, ut aliquid etjam meā caussā accepisse videatur. De sculpturā sic transiges, ut lepidissimum tuum vultum absentes brevi contucamur. Vale, & à Perillustri PINELLO salve. Patavii, xv. Kal. Martias. ∞ . 15 C.

EPISTOLA LXV.

IANO GRVTERO V.C.

OMitte quæso delicias: hostimento vincis; nec ad sacoma munus meum appendis, sed superpondium addis propensissimæ tuæ in me voluntatis. Inscriptiunculas aliquot misi: tu inter æterna nomina Puteanum refers, & facis immortalem. Quid ab homine homini dari majus, aut expectari possit? Tenuis memoriaz nostræ scintilla, tuâ face adiuta, perennis erit, & ab omni Posteritate conspicua. Quia tam utile, & tam amplum opus, à SMETIO bo-

L

nis

nis conatibus cœptum , à LIPSI O auctum , à te perfec-
tum ,

Canescit seclis imnumerabilibus.

Alterum missum ex promisso propediem dabo, qua-
si post Antecœnum Cœnam. Interim paucorum
dierum moram excusa , dum colligo , dum inspicio,
dum judico. Originem nostram , quò tu refers , non
refero. Sugambri ab ipso capite & fonte fuimus: & o-
lim militiâ clari; à litteris, more gentis, alieni. Nunc
Pallas respicit, cuius ego lubens signa sequor , ductu
& auspicio ejus, à quo tu ipse ductus. cuius si me cauf-
sâ amaveris, mihi dilicias feceris ; nec injuriam ma-
gno illi CLAVDIO PUTEANO. Patavii, xiv. Kal. Mart.
ccc. ioc.

EPISTOL. LXVI. Lovanium.

PHILIPPO RUBENIO S. D.

Commovisti mihi pectus , mi R V B E N I , tam
plenâ & officiosâ ; addo etiam , tam venustâ
atque eruditâ scriptione : quam nisi ab a-
mico non exigam , nisi à docto non exspectem. Ita enim stilum illum temperas , ut nesciam fu-
cum à verbis amori facias ; an gratiam verbis ab a-
more. Multùm in optimo illo studiorum genere pro-
gressus es : plurimùm in affectu mei. qui nunc etiam
non tantùm amabile illud Doctoris nomen mihi
defers ; sed & rationem disputas , quâ debere te ex-
istimas . Perge , perge in amore illo litterarum , at-
que mei: & utrumque scriptione, ut cœpisti, prome.
BARCLAYVM Lutetiae docere intelleceram ; & jam ex
te, docuisse. PRÆMETIA ejus vidi , & memoriam mei.

Bene

Bene eis sit , qui tā bene de me meritus : & tibi mi Rv-
BENI,bene. ix. Kal. Febr.

EPISTOLA LXVII. *Atestans.*

HIPPOLYTO ANGELIERIO.

Gratæ, gratæ Inscriptiunculæ illæ fuerūt. Sed li-
cet apud te? Lapidem quoque ipsum conside-
rare, non abs re esse ratus sum. Facit enim hīc,
si non Epitaphium pretiosius, saltem ut de pretio ju-
dicemus, aut ipsorum qui posuerunt, opibus & statu.
In lapide autem hæc attendere soleo : *Litteras, Lineas,*
Puncta, Dictiones; velut quatuor observationis elemen-
ta. Quæ dum hīc quoque rimor, primùm miror *Lit-
teras* ejusdem omnes magnitudinis & formæ; uti in
SCARDEONIO, sic in tuis quoqueschedis. quod tamen
apud Veteres fieri ubique non solet : & ad ornamen-
tum, atque adeò distinctionem olim fuerit quædam
litterarum decretio, aut varietas. In *Lineis* ordinandis
accuratum te animadverto : & Scardeonium ad ve-
ram lapidum normam non in uno loco correxisse.
Punctorum notatio meritò suspecta ; in fine præsertim
versuum, & *Inscriptionum* singularum. Antiqui e-
nimi utrobique negligebant : & Scardeonius ferè o-
mittit. Divisionis autem illæ notæ , quæ verba
findunt , in Antiquitatibus reperire difficile sit:
nec frustra tamen à te expressa , industria tua per-
suadet . In *Dictionibus* denique an rectè Scardeo-
nius mutaverit , tu ex ipsis tabulis decidito :
quas partim apud te servari , partim apud ami-
cos, scimus . Vale Doctissime vir . Patavii , in æ-

L 2 dibus

EPISTOLA LXVIII. *Mediolanum.*

Io. BAPT. SACCO, V.C.
Senatui à Secretis.

Quis iste rumor obsecro? Accersitum à Rege Principem, & nunc parare iter, vulgo & constanter dicunt: alii fortassis, quia id desiderant; alii, quia timent. Ita enim naturâ comparatum, ut quod quisque validè velit, id audacter adfirmet; quod timet, facile credat. Aliorum igitur desiderio, aliorum metu commoveor, ut credam quæ sparguntur. O celestes honorum hominum dies! O præsidum optimorum citata curricula! Sed quis, & quantus ille Princeps!

Tοῦ δὴ τὸν γε μέγιστον ὀπουράνιον κλέος ἐσί.

Lugete boni, lugete docti, & in Lydios modos conspirate, ne sine mœrore dimisisse videamini, quæ summo applausu excepistis: cùni majus sit, digno præconio abeuntem prosequi, quām publico venientem voto prævertere. Isthic enim Virtuti præmium, hīc stimulus est: & qui gratiis beneficium sequitur, id accipisse gloriatur; qui laude anticipat, sperare præsumitur. Perillustris PINELLVS jam pridem gratias tibi per litteras dixit pro imagine Lipfianâ: & nunc de novo per me: illudque adjici jussit, si sciverit epistolam suam non perlatam, iterum & lubenti animo scripturum. In studiis progredimur, & amore tui, à quo tam calidè amor. Patria (heu!) magis magisque astuat: & jam proximus ardet Vcagon. De pace summa erat hominum opinio; sed eam & hostiles progressus, &

sus, & seditiones nostrorum militum longius reje-
runt.

-----quem das finem Rex magne laborum?

In Agellio, lib. i. cap. x. cruditio tua non fecellit, le-
gi posse: Religiose Donarius consecrata, si vox Donarii
pro ipso loco accipiatur. Apulejus juvat, libr. Florid.
Enim vero fanum Iunonis antiquitus famigeratum, id fanum
secundo litora, si recte recordor, viam viginti hacten amplius
stadia oppido abest. Ibi DONARIVM Deae per quam opulen-
tum: plurima auri & argentis ratio in lancibus, speculis, poculis,
& hujuscemodi utensilibus. Idem lib. ix. Metamorph. Can-
tharoque, & ipso simulacro, quod gerebam, apud fani DONA-
RIVM redditis ac consecratis. Poeta princeps:

-----ductos alta ad DONARIA currus.

Sic Agellius Senatum quoque docet pro loco usurpari
lib. xviiii. cap. vii. LEANDRVM MARNIVM nusquam
invenio: nec is PINELLO notus. A Clarissimo LIPSI
litteras, & bina Epigrammata nuper habui, quæ si
inspicere lubet, dabo. Tu, Frater, & Gener valete.
Patavii, vi. Eid. Mart. 8. 100.

EPIST. LXIX. Venetias.

LIVINO DE SVCCA,

Doctori & Equiti.

QVAM voluissem amplius te frui! & suavissimum
Doctrinæ Humanitatisque tuæ liquorem, cu-
jus pauculae stillæ mihi palatum irritarunt, u-
berius degustare! Sed nunc abis: & infortunio me
mactas; ita ex animo loquor. Quod si in potestate
meâ sit, vel abeuntem te revocare, vel sequi, sentias

me umbram esse : nec minus ægre retineri à blando illius, quæ tu nosti, vultu posse ; quam tu facile à truci illius, quem ego novi, supercilio fugis. Quod quia nō licet, quælo rivum litteris ad me ducito; uti sic absens sitiensque sermones tuos toto animi alveo excipiam, corporisque sinu. Feliciter profiscere. Patavii, III.
Non. Apr. 20. 100.

EPIST. LXX. *Ticinum.*

HENRICO FARNESIO V.C.

A Dscribendum merum me nuper otium : nunc causa impellit, quam hæc figura dedit. ea pars tabulæ Hieroglyphicæ est, ante plures annos è BEMBI Muséo depromptæ & vulgatæ. Multorum ingenia & acuminæ defatigavit: & tunt qui meras chimæras dicant, & inanes fictiones. Super hac re te cōpello, & consulo: quia tu unus nos docere, aut nullus potest. Eià agè, & fractū hūc nobis da. nobis? imò publicè omnibus. Fractū, qui laudé inveniet, apud Doctos, qui intelligēt; apud Magnos, qui æstimabunt. Universum autē tabulæ corpus in tres ordines distinguitur, velut totidem Zonas. in meditullio singularū unus aliquis typus, quem altrinsecus similes pænè figuræ cingunt. Adusq; enim medium effigies illæ variant, post medium eædem revertuntur. haud aliter quam si in ipso spatio retrorsum oculum reducas. Sed istud in universâ tabulâ. nunc principium hoc considera, & quid sperare debeamus, rescribe, simul, quid agas, pangas, edas. Bene vale Clarissime Vir, meique memor. Patavii, VII. Kal. Apr. 20. 100.

EPI-

EPIST. LXXI. *Augustam Vindelicorum.*

MARCO VEL SERO V. A.

Augustane Reip. VII. vno.

VTinam & gloriam pro copiâ haberem , & pro re nitorem! Pauculas inscriptiones misi,in quibus si curam aliquam posui, quid nisi conatum meum approbavi? Bene tamen acciderit, si sic Clarissimi GRUTERI amorem merui: melius, si non ambivi. Firmiores enim Amicitiae tesseram conferre, magisque faustam volui , quam exesas tristium funerum notas. Absit omen. Innotescere sat erat, donec liquidius fideliusque nos glutinum jungeret. Brixianus ille, jam ætate curvus & capularis: urnas & sepulchra ceu vespillo ruspatur; ut tumuli & monumenti exemplum sibi investiget. Sed libri non usquequa contemnendi . Non te celo : mendum in Inscriptione illâ hæret. pro VEIONACIA , lapis (in Noniano eum vidi & fideliter enotavi :) VEIONIA.CEA. Vale.

EPISTOLA LXXII. *Romam.*CAROLO LAVRINO MEO
S.D.

ADolescentem hunc vides ? Is est, de quo nuper obiter : quem denuò nunc tibi commendo; hoc in primis argumento, quia probus ; deinde; quia mihi amicus. Commendo autem hactenus, ut consuetudine, & consilio tuo uti possit, nec morū,

nec

nec linguae Italicæ omnino peritus. Iter meū ad vos PINELLO auctore, in Autumnum distuli. qui ipse sui spem aliquam dedit, Pecuniolæ tuæ paratæ. Vbi, & quando vis? Mî protectò onerosum est debere: magis amico: maximè tibi. Itaque scribe, & me libera. Sed de summulâ quæso adde. Ego enim etsi non omnino fallor, tamen hæreo: & nunc planè cognosco, beneficium & injuriam hac in primis differentiâ secerni; quod in illo accipientis, in hac dantis imbecillior memoria est. SASSENVS, credo, jam apud te est, & litteras librūmque dedit: tu perge, & confer. Viden'quâ fiduciâ? impero, non rogo: & nōne impetro? PLEIAS, lentum negotium est; nec cælestis illa in cælo si amplius commovetur, longiorem noctem habeamus illâ, quâ Iuppiter cum Alcumenâ fuit. Vale. Venetiis, inter clamores & strepitum ebriorum. In diversorio enim scribo: & vereor, ne culinam hæc epistola oleat. Tu manus ablue, postquam legisti. iv. Eid. Mart.

. 10C.

EPISTOLA LXXIII. Lovanium.

IVSTO LIPSIO V.C.

Historiographo Regio.

AMOR facit, Vir Clarissime, ut legem nostram vi-
olem, & per amicum scribam. Is FREDERICVS
HAVENS est, inter Auditores olim tuos: & fa-
miliares, patris caussâ. Casu in eum nunc incidi, cùm
ludos nescio quos scenicos spectatum hodie irem.
Româ venerat: ac die crastini iter ad suos, & ad te.
Quàm comes ei esse cupiam, si tam tranquillitas
Patriæ,

Patriæ, quām desideriū tui vocaret. Illa (bone Deus!) in quo motu, in quo metu! non quassatur amplius, sed obruitur & perit. Ego tamen anhelo, ut communem cum meis Fortunam subeam, & fortiter tecum sustineam, quem pariter cū meis habeo & colo (cōgor dicere:) quia pariter nieri de me pergis. De rebus meis & statu ante dies aliquot scripsi, viā Augustanā: quas te litteras accepisse opinor. Patavii, vi. Eid. Quint. 100. Subito apud amicum, ad quem scribendi caussâ declinavi.

EPISTOLA LXXIV. *Pragam.*

PHILIPPO DE MONTE,

Archiphonasco Cæsareo.

INAMOREM tui, Clarissime Vir, non ab unā caussâ impellor. Prima, Virtus tua est: cuius pulcherri-
mā speciem necessariò perimus; & magis etiam Patriæ nomine nos Belgæ. Altera, Musa, quā Orbis pænè universus cōpletus, & delinitus trahitur: haud aliter, quām ad Orphicum aliquem concentum. Tertia, ipse Io. VINC. PINELLVS, qui cūm tanti te faciat, quantum & Virtus, & Musa merentur, exemplū præxit, quod sequar. Sic igitur te amo; cuius & Virtutem cerno, & Musam audio, & laudes intelligo: idq; ab eo, quem maximè ipse amo; quique te maximè. Verba hæc sunt? rem accipe, hoc quod adjungo mu-
nusculum, velut *σημεῖον* puri illius affectus; nō quidem pretio magnum, aut argumento pretiosum, sed probum solā caussâ. Pretium enim in ornatu aliquo o-
rationis duntaxat aut cerussâ, contemptâ seriosis Vi-
ris aut neglectâ. Argumentum Musicum quidē est;

M sed

sed tibi vereor ut Musicum, qui tantum deprimere
lucubratiunculas nostras debes, quantum scientiam
superas. Itaque solam causam respicere te volo: causa-
m autem amoris. cui si mutuum quoque tribue-
ris, hoc consequar, ut non displicuisse munusculum
intelligam: & quae olim Athenis Armata, deinceps
ubique Modulata terrarum celebretur. Valetudinem
tam commodam, perpetuam precor. Patavii, x i. Kal.
Maii, 1500.

EPISTOLA LXXV.

IANO DOVSÆ, V. N.

EXQ Claudio veteri Annalium scriptore Agel-
lius scripsit: *Hæc maxime versatur Deorum inqui-
tas, quod deteriores sunt incolumiores; neque optimum
quempiam inter nos sinunt diurnare.* Num & nobis licet?
Causam cum maximo seculi, & litterarum damno
domus tua præbet, duorum tam carorum capitū casu
concussa. O rem tristem! Tuum illum, & verè luven-
tutis Principem crudo fato abreptum vix luximus,
& ecce novo acerboque funere instauratur dolor, &
ad fratrem *θρυηδία* transfertur. Hæc scriptionis meæ
causa, Nobilissime Vir: sive ut dolorem tuum leni-
rem, et si tuā id sponte te facere scio; sive ut meū in-
dicarem: certè ut studium ac observantiā in te meam,
tuamque domum. Humanitas tua invitat; quā ante
biennium, cùm Hagam cum litteris Lipsianis venis-
sem, blandius nescio an benignius exceptus, & (uno
verbo) devinctus sum. Proficeri id hactenus signo a-
liquo quæsivi; nec aptius veriusque reperire potui,
quam hoc ipsum à crudelibus Parcis acceptum. Tri-
ste quidem, sed tamen certum; cùm difficillimum sit,

tri-

tristitiae simulare. Ego quidem amici malum meum duco malum : illudque mecum cogito , si alienus ego hunc casum tam ægre feram , quid te Patrem par facere , cui jam altera spes periit , & familiæ decus ? Erige te ipsum , & Dei consilio hoc fieri existima , id est , bene sapienterque. Legem communem quid ego tibi ingeram , quæ nasceturibus dicta est mori? & mori quidem incerto limite , aut termino nullo nobis fixo , nisi quem æternæ prævidentia tabulis Deus ipse inscripsit. At in ipso Bonæ Ætatis flore abripi durum videtur. Videri non nego: esse tamen qui potest , nisi vita finem non in bene , sed diu vivendo collocemus. ον γὰρ θεοὶ φιλοστεγη, ἀποθνήσκειν. Hæc ipsa quietis pars est , ad quietem citius transferri ; & qui navigant , leni malunt flatu in portū invelli , quam aut segnibus ventis diu ludi , aut lentissimo tranquillitatis tædio lassari. Filius igitur obiit sed quod omnes mox facturi sumus , fecit: obiit , sed multos in spatio & cursu vita , plures in fama superavit. Licuisset saltem oculos domi illi claudere , & extre-
mum pietatis officium persolvere!

----- τὸ γὰρ γέρας ἐσὶ δαρώντων.

Hoc gloriösius obiit , quo à Patriâ remotius , Patriæ tamen causâ (navigationis enim describendæ causâ profectum cum classe audivimus :) cuníque irato Neptuno infausta navigatio cesserit , experiri tristia maluit , quam scribere ; fato fungi , quam infelici munere. Sed finge incolumem remeasse domum ; finge inter ipsos amplexus tuos extinctum , patrio ritu elatum , inter Majores conditum: hæc omnia alius doloris vulnus impressissent ; nec praesentire gaudia illa licuisse , nisi gladium acueres dolori.

M 2 Deinde

Deinde recti & urentes doloris radii sunt, qui per oculos animum invadunt: obliqui & tepidi, qui per aures. Hoc age Prudentissime Vir, & copiosam florentemque familiam tuam intuere, novos istos & pullulantes surculos: habes, quibus spem & exspectationem amissam restituas ac superes: habes, quorum industria, modestia, doctrina ad famæ aliquem fructum aut maturuerunt, aut mirescent. Deus illos, & te Nobilissime Vir servet firmum & constantem.

Patavii, x. Kalend. Apr. 150.

Quod olim mihi scripti, id rescribo: Optare optima, cogitare difficilla, ferre quacunque eveniunt. Sapientis officium esse depuro: neque cuiquam præcipue dolendum in eo, quod accidat univerfis.

EPISTOLA LXXVI. Venetias.

FABIO PAVLINO V.C.

IN IQVVS sim, Doctissime PAVLINE, ni me dupliciti isto munere insigniter ornatum profitear, & arcte tibi obstrictum. Munere autem litterario. Metalla, & lapillos quis estimat? hoc ego magis; ni falsè estimem. Illis namque cum pretium ab opinione sit, tanti que fiant, quanti ille facit qui possidet, (parvi autem faciet, nisi tanti esse velit, quantū possidet;) meritò apud æquum rerum estimatorem vilescant. Munera autem (ut Censorinus censet) ex auro, vel quæ ex argento nitent cœlato opere, nonnunquam materie cariora, ceteraque id genus blandimenta Fortunæ in hanc vi, qui vulgo Divites vocantur: in quorum numero nec esse labore, nec censi, ne quidem si fuero. Veræ divitiæ in

in animo sitæ, & in ingenii, ut sic dicam, arcâ. Sic vera quoque munera, inde prompta : cujusmodi tua ipsa Oratio & Carmen, gemino missu, omnime felici. Illam enim accepi, hoc tu misisti, eo ipso die, quo optimam Quinquatria celebrari solita, & munuscula mitti: ut Veterum utrumque more collatum; & quod ci- tius missum est, rite acceptum ; quod tardius accep- ptum, rite missum intelligatur. Tuverò Astoropæus & ~~te~~ mihi, qui vorsâ & prorsâ ita feliciter ludis, ita serio scribis, ut dubitem an passis verbis libe- raque oratione accurior, an metrico nexu liberior videare. In quo errore lubens maneo; ut æqualem utroque in te amoris caussam inveniam; quem spō- deo æternum. Patavii, xvii. Kal. Maii; 1500.

ANTONIVM CLERICVM si videris, saluta : quē cum- dem rogo, PLEIADEM meam apud CIOTTVM pro- moveat.

EPISTOLA LXXVII. *Romanorum*

Io. BAPT. HANSENIO.

Ecce tibi SASSENVS: ecce munusculum, ecce af- fectus. Quando ipse sequar, & me tibi, mi HAN- SENI, sistam? Ita me Mux ament, inter prima & calida vota hoc est. Te enim amo: & hoc etiam magis, quia sunt qui obloquantur. Sed hæc bonorū con- ditio est, omnibus non placere. Tu modò obdura, & desiderii tui radices in Doctrinæ Modestiaæque fun- do firma. Linguæ malevolæ flabra flectere te poter- runt, non frangere. Arbores fœcundari aiunt aurâ, quæ novovere spirat: sic rectâ bonæ ætatis indolem

M 3 obtre-

obtrectationes p̄p̄arant ad verum gloriæ fructum.
quem anno & horo huberem ac maturum voyeo.
Patavii, v. Kal. Mart. 1500.

EPISTOLA LXXVIII. *Mediolanum.*

FEDERICO QVINCTIO,

Regi Fisci Advocate.

Si magna semper, & rara Virtus æstimata Huma-
nitas est, perillustris Vir, quæ non tam verborū
blanditiis, vultusque serenitate vestita, quam ab
ipso pectore nuda conspicitur; jure meritò inter ma-
gnos maximum te admirari, venerari, & celebrare
debeo, potentem sine fastu, doctum sine ambitione,
benignum sine personâ. Apud alios malim dicere, ne
gratiæ cauſâ dicam; tibi tamen dico, ne silere videar.
Dico; & sermonis veritatem ad Modestię tuę tribu-
nal, velut in iniquum judicium produco. Scio enim
nō minus magnifice te laudes istas conténere, quam
gloriosè promereris: et si cōtemnere sine novâ Virtu-
tis professione non potes. Prodīs enim ipse, & agno-
fcis animi tui thesaurum, dū profiteri recusas: sed ego
quoque libentiūs profero, quia recusas. Humanitatē
in primis, quam à multarum litterarum studio profe-
ctam, parem litteris possides. Vix in urbem vestrā
veneram, & ecce ad alloquium, ad Amicitiam vo-
cas, domum invitatis, Bibliothecam offers: quibus ita
usus sum: ut maximum prudentię cumulum accepisse,
& ipsas lucubratio nculas meas bonâ ex parte à li-
bris tuis esse, non negem. Deinde, ut abeuntem me
quoque officio aliquo prosequeret, jure & teste pâ
Hospitio

Hospitalitatis amplius tibi jungis, & divertere apud te (si quando itineris occasio) jubes. Magnum beneficium, his moribus, & hoc solo.

Denique nunc eo progrederis, ut de revocando, & publico me titulo donando serio cogites. Haveo, ha-
veo; ne longinquus à te, Vir Perillus, absim, qui
ex aste tuus. Patavii, x. Kalch. Majas, m. 163.

EPISTOLA LXXXIX. *Patavium.*

ARNALDO CATHIO S. D.

QUIA navé sine te intravi, & avectus sum, sua-
vissime CATHI, odiosa omnis hilaritas fuit,
quam, tardii vincendi, à fabulis vectores ex-
primebant. Itaque segregare animum lectione cœpi,
& PLEIADEM mēam revilere; partim, ut paratas cor-
rectiones Typographo deferrem: partim ut in cat-
mine tuo præfixo te ipsum audirem, imò viderem.
Perveneram ad illum versum:

*Quintu adspice, ut ipse
Saltent canantq; GRATIA.*

Et ad titulum oculos reflectens, putavi non inveniu-
stum esse, scribere:

Saltent canantq; PLEIADES.
Occasione scilicet fabulæ veteris. Plejades enim, ut
Hyginus tradit, antiquitus dictæ choream stellis du-
bucere. Quod ipsum testimonio Poëtarum fultum, à
rigida scriptioñis usu rectè sustinetur. Inter Poëtas
quidem Propertius hac mente:

*PLEIADVM spizzo cur coit igne CHORVS.
Item Horatius:*

buq; Indomitas propè qualis undas
Exercet Auster, PLEIA DV M CHOR O obnupil
Scindente nubes.

Chorum uterque expressè nominat, canentium atque salientium stellarum. Canentium: ut hinc Mercurius totidem chordas aptasse Lyræ dicatur. Ovidius exprimit:

---- SEPTENA putaris

PLEIA DV M numero FILA dedisse LYRÆ.

Salientium: quas Electra post Illoiam captam dolore permota deseruit; & à ceteris, ne lascivire in luctu videretur descivit. Hæc indicare volui, non quod carminis mei tui pecciteat; sed ut amorem tui meum clarius cognoscas. Vale; & à LIVINO salve. Venetiis,
xi. Kalend. Iun. 100. I.C.

EPISTOLA LXXX. Romam.

FLORENTIO, ET CAROLO
LAVRINIS.

HOMINEM si lepidum, & non è vulgo vultis; hunc noscite; & amate. JOH. SADELERIVS est, nobilis ille Scalptor: & libellum defert ultimis meis litteris promissum. Nec opus illum, vel istum amplius commendare; cùm & ille, & iste, à me veniant. Opus? imò nec otium. Alieno enim in loco, & inter epulas scribo, jā corollâ caput cinctus, quam ex Liberi lege sumpsi. Scribere simul & bibere haud facile est. Sic igitur Salutivestræ Quadrantem nunc impendo: Bene me, bene vos, bene SADELERIVM. Patavii, Kal. ipsis Iunii, merco meridie, 100. I.C.

EPISTO-

-chili

• M

EPISTOLA LXXXI. *Venetias.*

ANTONIO CLERICO S. D.

Quod libellum meum æstimas, mi ANTONI, ab amore mei est. Nec damno; si ita æstimas, nec celestis hunc amorem: id est, ut non tantum a sensu laudanda, sed judicio quoque corrigenda prosequaris. In publicum prodeunti si vestem nitentem deprædices, in fronte fuliginem dissimules, perpetram & amico, & sermone uteris. Amico, qui moneri potius, quam laudari debet; sermone, quo monere potius, quam laudare ipse debebas. Hoc agamus, & ita inter nos simus, ut uterque secum est; sic omnibus futuri, quod uterque sibi est, morum & doctrinæ lude. SEGETVM si vides, scriptionis, & mei admone. Patavii, iv. Non. Iun. 100. 10C.

EPIST. LXXXII. *Patavium.*

Io. VINCENTIO PINELLO
Viro Perillystri.

IN ædibus SCARAMELLÌ fui: Septumiæ monumen-
tum vidi; et si pœnè frustra: ita similiter omnia
expressa. ut nesciam mehercules industrias, an
memoriam FABRICII nostri, an utramque debeam ad-
mirari; qui tam fideliter in summâ festinatione ipse
pinxit, aut feliciter pingentis postea ac reformantis
manum direxit. In solo pilarum situ differentia ali-
qua, sed facile corrigenda. Reliqua enim quæ discre-
pare videntur, ratio nō inveni; excusat. PLEIADES ortæ
N sunt,

Sunt, & unà sàdīc, signum sive caussa tam humidi
cæli.

—De d'appa Zedīc
owexēc:

quæ etjam prolatæ domuitionis caussa exstitit. Nunc
τρόδρουν mitto, serium hunc Iudum, in negotio hīc
mihi natum; & vereor ne insulsum in ipso salo.
Vide, & vale Perilluſtris Vir. In crastinum condico.
Venetiis, xi. Kal. Iun. 1500.

EPISTOLA LXXXIII. *Mediolanum.*

MATTHÆO SANDERIO suo.

FAbulam adfero: tu para assem; imò historiam,
non fabulam, quam ne dies suspectam faciat, sic
recentem itilo pangam. Adolescens(nec nomi-
nare eum fas) Lari & thoro alieno maculam parans,
matronam quamdam deperibat,

—Διδος ἔχει χρυσής Αρροδίτης.

Cujus cùm illa igniculos sentiret, communis exsus le-
vitate, pariter arsit: nec restabat, nisi ut amantes unà
inter se fierent convenæ, ardoremque extinguerent.
O sagax, an salax dicam? Cupidinis inventum! Vbi
matrona degebat, ædes proximas vacuas inquilinus
reliquerat: eas communi consilio adolescens condu-
cit, ut spargebat, animi caussâ; sed profecto animi
caussâ. Mox, opportunitate usus parietem perfringit,
qua furtim in thalamum suæ Veneris commearet.
Velabant autem intus peristromata dolum, quibus
in antecessum mulier cubiculum ornaverat. Sic illa
delectata præsentia amantis, & secreto, non minùs
avidum intrepidè admittebat. Auxit deinde libidi-
nis

nis audaciam exspectata mariti profectio : & noctes
et jam amantibus liberas reliquit. Sed de adulterio
Decorum vox est:

οὐκ ἀπετακακά ἐργα.

Ecce post dies aliquot , noctis concubio , improvisus
assistit maritus , ad conclave properat , ostium pul-
sat , uxorem compellat? Illis metus & trepidatio: nec
remedium aliud , nisi divelli . Itaque adolescens ,
collectis vestimentis , transcurrit curriculò domum .
Hæc verò dissimulato flagitio , velut altiori somno e-
mergens , ad vocem mariti respondet ; injectaque hu-
meris veste , ostium recludit , & semihiantes oculos
morsicans , moram à nescio quâ imagine noctis astutè
excusat . Succedit deinde in Martis locū ipse Vulcanus .
Sed ecce dum lectulū cōscendit (infortuniū amoris !)
offendit , quod delicto festinationis remanserat , orna-
mentū capit is virile , & ipso strato duorū hominū ve-
stigia figurata . Quid multis ? ut in re uxoriā suspicio
proxima est , è signis adulteriū conjicit . Nec iracūdiā
dissimulans furenti similis ad arma se proripit , noxio
sanguine injuriæ parentaturus . Misella extremum pe-
riculum cernens , mariti furorem impulso & oppessu-
lato ostio excludit ; plenāmque securitatem fugā sta-
biliens , parietem transit , paucisque passibus Larem
& Virum mutat . Non diu moratus maritus , cum
ferro adest : niſu valido diffringit cardinem , adi-
tūmque sternit . Iam cædem animo conceperat ,
jam gladium jugulo devoverat ; cùm inopinato ef-
fugio percussus , mirari cœpit , qui & qua mulier
evasisset . Perscrutatus deinde diligentius grabatum ,
reliquaque cubiculi latibula , et jam tapetes excus-
fit : dūmque parietem persequitur , tota sceleris

scena detecta est. Ecce discidium viro, & uxori; si jurgium modò esset, censerem in Palatium irent; in Sacellum Deæ Viriplacæ; & inibi contentione animorum depositâ, concordes reverterentur. Tu suavissime SANDERI salve; & Catastrophen exspecta.

EPISTOLA LXXXIV. Atestam.

HIPPOLYTO ANGELIERIO.

HOnorem mihi habuisti tam blandâ & amicâ epistolâ, in quâ ingenii & doctrinæ laude idem tidem me ornas; imò & officiosissimè domum tuam invitas. Vtinam is sim, quem tu me esse existimas, benivolentiâ, & elogio tuo dignus! Nam de Inscriptionibus illis sollicitè magis, quam eruditè quæsivi, illorum more, qui curâ scientiam supplent. Tu verò ita non doctè tantùm, sed benignè respondisti; ut scriptio nis meæ jure meritò possit pœnitere, nisi alieno nomine suscepta esset. Cùm enim Clarissimo IANO GRVTERO munus hoc à te mitterem; diligentiam à me jungebam, ut rectè mitterem: quam quia partim prævertisti ipse, partim coram vis explere, veniam, ubi primùm cruditatem & fecem hanc aëris Sol serenior pepulerit: non tam ut inscriptiones, quam te ipsum, Vir amice, videā, cuius insigni humanitate captum me sentio, & trahi. Vale. Pavvii, xiv. Kal. Apr. 100.

EPI-

EPIST. LXXXV. Patavii.

EDMUNDI BRVTI Salve.

IN Carmine nunquam credidi laborem inesse tantum, ut hoc exsculpfi illubens. Invitissimis enim Musis; quas frustra ad Martia hæc sacra traducere conatus sum. Heliconem suum pertinaciter insident, Phœbique justu bellicos istos motus fugiunt & rumores. Quid censes? rapiendas eas? aut Martem Ultorem vocadum, qui injuriam vindicet? Neutrum: beneficium hæc injuria est, si expendimus. Tibias enim fistulásque Sororum ille chorus negavit; ut tubæ lituique laudes tuas clarius spargerent. Quod si ita est, mihi tamen liceat levi calamo succinere; imò præcinere.

In Mænitionis Brutiana

T Y P V M.

VICTOR ut ad versus tuto MOENIMINE Martis

Stes Miles furias, Artis & Ingenii

Vis facit: exiguis quam BRVTIVS explicat omnem,

Sed doctis chartis, exiguoque TYPO.

Clarior hic Phœbo Brevis Phœbique Sorore

Lucet, stricturis Artis & Ingenii:

Stricturis tenebras pellens, nubemque serenans,

Quæ solet in magnis obtenebrare libris.

Multat notat, dum pauca notat, spissata tabella est,

Et nostrum Ingenius, & veterum Ingenius.

Prisci videoas è pulvere Militiai

N 3.

Indita

Indita mutata nomina Militiae:
 Nomina quid dico? ipsa suis collapsa vetustas
 Cernitur in vivo Schemate rauderibus.
 Posthuma nascuntur bellacis MOENIA Roma,
 Aemula Carthago nascitur Imperii:
 Nec tamen ille suo, fraterno sanguine vallum
 Qui tinxit, nomen nomine restituet;
 Dido nec Phoenissa suo: scribenda restituit
 Fata, non quoque petunt nomen ab auspicio:
 Tu dabis o BRTI; geminæ tu conditor Vrbis,
 Artis & Ingenui, Martis & Imperii.
 Nam tua nec ferro poterunt, nec cedere flammis
 MOENIA: queis vi-vax BRTIA noscen erit.

EPISTOLA LXXVI. Bononiam.

HERCVLI BVTREGARIO V.N.

Plereque pulcherrimarum Artium, quas Antiquorum industria profuturas seculis eruit, tam iniquum fatum expertæ sunt, ut ne vestigium sui reliquerint. Inter eas Musicam in primis esse, tam palam est; ut cum nostro patrum que ævo inventa vetera nova cupiditas restitueret, hæc una inventu facilior, quam restauratu visa sit. Non defuerunt tame qui radio quodam ingenii sui evincere spissam Vetustatis caliginem conatisunt, sed haeterus, ut armillis aut hastâ contenti, triumphum industriae tuæ cesserint. Ego quidem qui in hoc quoque labore fui, te unum priscam illam Musicam felicissimè emolitum esse, & Famæ, & Doctrinæ tuæ credo. quarum alteram publicè jam pridem venerari; alteram noscere & æsti-

& æstimare privatim cœpi , ab eo mox tempore,
quorū aliquam & occasionem ad notitiam tui
PALLAS mēa patefecit. Restat igitur , ut honoris tuo,
avidisque omnium votis satisfaciens , pleno gradu
ferculorum Musicorum pompam promoveas , ac
Triumphum agas . Vale. Patavii , viii . Eid. Iun.
oo . 100.

Seorsim quærere à te volui , quid de doctrinâ Pa-
reanâ , quid de hac nostrâ statuas . Præjudicium ASCA-
NIVS PERSIVS litteris ad PINELLVM indicare visus : A-
ctum me scilicet agere . quod quia needum mihi liquet ,
licebit sine exceptione rei iudicatæ jure Actum agere:
atque

Hic eadem de causâ bis judicium adipisci er.

EPIST. LXXXVII. Romam.

Io. BAPT. HANSENIO S.D.

Brevitatem culpas? at ego in calore hoc pariter
& litteras & vestes habeo: & sicuti corpus ven-
totextili tego ; ita affectum suffultis verbis non
obruo , sed oculis tuis integro pænè nudum . PLEIAS
nostra vulgata est exigui pretii , exiguae molis scri-
ptum . Apud LAVRINOS exemplar est , vide ac judica .
De Panegyricō Plinii jam antè scivi : item de Sene-
cā . Tertia Centuria , quæ in procinctu jam pri-
dem erat , nusquam apparet . Num stationaria fa-
cta , aut in castris delitescit ? quando prælium ini-
bit , & prælum subibit ? Sed explorator ipse ero .
Tu vale , & viam litteris meis sterne ad Illustrissi-
mum Cardinalem : cui salutem etjam nunc debeo

à lo-

à JOSEPHO SCALIGERO. Censorinum in adventum meum para. Patavii, ix. Kalend. Quint. 100. 10c.

EPISTOLA LXX XVIII. Florentiam.

HIERONYMO MERCVRIALI,
Medico Principi S.D.

Nisi te Doctrinæ tuæ caussâ & Famæ amaré, Magne Vir, deberem Lipsi: nisi hujus, meâ ipsius, quia à te amor. Id enim & ex litteris ad Perilustrem PINELLVM: & ex salute, per ATHENIVM ad me missâ, clarum. Sed Doctrinam, Famam, Amicitiam Lipsianam jam olim libenter audivi, libentiùs deprædicavi, ubicumque mentio tui. Ita enim à puerō affectus fui, ut in Doctorum Virorum laudes pronus semper irem, adsensu & applausu. Non una itaque amoris in te mei caussâ est: vix una tui in me; nisi quam dubiis admodum scintillis produxisse PALLAS mea visa, in humido argumento: sed lucidis radiis, in pectore illo tuo ingenuo & amico. Quare quia tuâ sponte amare me cœpisti, rogatu meo perges; ut gloriari de hac Amicitiâ possim, si aliqua à me origo existiterit. Vale multùm; ut per te multi. Patavii xi. Kal. Sext. 100. 10c. Tabulam hanc Honorariam adjungo, quam observantiae in te meæ testimonium esse volo.

EPI.

EPISTOLA LXXXIX. *Venetias.*

FABIO PAULINO, V.C.

Officio sam hanc serram verbis amplius non reciproco, sed affectu. Te amo: & amari me aste gaudeo, quia amas Eruditionis causâ. quæ si in me eit (exigua certe) eamdem præmio cōmentationis superas: si erit, non impedio quin prævertas. Stimuli enim loco utrobique laudes tuæ sunt: isthic, ut aestimem, hic vero, ut sequar. Vale amicissime
FABI. Patavii, xiv. Kal. Maias, 15C.

EPIST. XC. *Romam.*

GUILIELMO ATHENIENSIS. D.

Ego verò non audio: & si tu me invenisti, Romæ es, id est, in eâ urbe, ubi arx & domicilium quondam orbis, nunc umbra & ruina gentis illius & ævi. Sitamen descendit causâ es, abunde habes quod tibi aliisque notes. Latent in ipsis structuræ ruderibus, & populi reliquiis thesauri morum & doctrinæ. quorum tibi cupido ne languescat, dum facilis occasio est: ne uide differas (ut ille ait) tanquam s̄æpe visurus, quod videre nunc datur, quieties velis. Non enim mora tibi, sed diligentia fructum itineris dabit. Vidi, qui diu multumque circumvectus, nil nisi se ipsum reportavit: quia non minus remissitas tardant, quam festinatio prope ranti obest. Quod cum LAURINIS agis, & conviviola

O

etiam

et jam obis, paxne in video. Illos enim verè probo & amo : & hinc adesse desidero. Comicus rectissime:

Ω· ε· ηδη τὸ ζην, ει· μετ' ἐν κρίσι τὶς αὐ.

Tu me Pataviūmque cogita, & viam, ut Catullus loquitur , vora. ix. Kal. Quint. oo . 100.

EPISTOLA XC I. *Mediolanum.*

sup. scilicet in omnibus suis operis
-nem LUDOVICO SEPTALIO V. C.

COpiosam epistolam habui, cui ut persolvam, non pecuniā ærosā, sed paucis aureis, cum interimento utar. Tu vero paucarum rerum jacturam non invitus sustinebis, ut verborum onus effugias. Sic itaque paucis multa dicam; sed ut nonnulla quoque omittam. Pro salute magni illius Viri votum concipio. Nova aliqua severitas expetenda est, quæ coercentia. Licentia, licentia fibulam laxavit haec tenus tot & tam enormibus malis. QVINCTII & SACCI favorem & affectum exoscular: sed vereor tamen ne longè à destinatione nostrâ simas. quicquid sit, ἀνεπίφθω κύριος. Epistolam ad LANDRIANVM scripsi. vides quām libenter? omnia negotia præveni: ac officio malui, quām elegantiā placere. Sic me commenda, epistolam excusa. Patavii, xiiii. Kal. Sext. oo . 100.

EPISTOLA XC II. *Lovanum.*

IVSTO LIPSTO V. C.

Historiographo Regio.

Sæpius scripsi: male & amicis & tabellariis sit; si struxtra. Ut risque enim usus sum: tabellariis, ut amicis

amicis parcerem; amicis , ne solis tabellariis fiderem.
 Nunc repeto: téque consilii mei , postquam aucto-
 rem non licet, inspectorem desidero : ut consensu in-
 quam accedas, non judicio præreas. Provinciam do-
 cendi suscepi , Mediolanum veni, verba publicè , &
 feliciter feci. Præfiscine dixerim; placui Senatui, pl-
 cui plebi. Sed tu videbis an meruerim; imò & mone-
 bis ; frustra horum me hominum laudes titillent , si
 laudem tu negaveris; aut suspectum præjudicium sit,
 si sententiâ tuâ accesseris. Videbis autem, non audies:
 verba, non vocem , velut testis oculatus . Ipfissima e-
 nim quæ dixi prodeunt: & prodeunt suadentibus hîc
 amicis: in amicis, LVD. SEPT ALIO , quæ auctorem hu-
 jus munericolo. Is nomine meo prensavit, omnium-
 que animos excitavit. Meo inquam nomine , sed tuâ,
 Vir Clarissime, caussâ. Te enim amat, & publicè pre-
 dicat: PVTEANVM propter te. agnosce quæso benevo-
 lentiam istam; & gratiam illi scribe. Vir est inter no-
 bilissimos Mediolanensium, inter doctissimos, inter
 humanissimos. Ad te litteras etiam parat: præverte,
 & vince officium ejus, à quo penitus ego victus. Ho-
 spitio ejus excipior ; eruditione dirigor ; in omnibus
 juvor. Ad summam Pater meus audit. Patrem itaque
 amplius, non laude , sed affectu prosequor : ut & lau-
 dem apud te inveniat , qui affectum adfert ; per me
 inveniat, cui utrumque dedit. Vale. Mediolani, 111.
 Kal. Decemb. 100. CIC.

EPISTOLA XCIII. e Amstelamum.

CORNELIO REKENARIO S. D.

Longo intervallo te inviso; sed litteris & animo: quando voce & corpore? ut incolumem me audias.

Narrantem loca, facta, nationes.

Triennium jam perpetuum apud ignotos transegi, in ignoto solo. utrumque cum illo in primis fructu, quod intelligam, quantum ad mores & prudentiam faciat cum Hoinerico Vlixe ~~magister~~: addo ad doctrinam & cognitionem Historiarum priscarum. Nam ut monumenta pacis militiae que taceam, & tot vestigia venerandae Antiquitatis; adhaerent moribus & linguis huic reliquiae quedam melioris aevi. Adhaerent, sed caligine ignorantiae pressae, quas nisi sub arbitrio bonorum scriptorum non distinguis. Tantum intercessit, rudis, an Litterarum aliquo praesidio peregrineris. Sed de me, & itinere meo pergo. Postquam Germaniam vidi, clivosa Alpium juga & scrupea saxa permensus sum, ac Mediolanum profectus, amplam & eternam urbem, ubi & amicitiam Magnatum, & ipsius Principis favorem sesquianni mora obtinui: ac esse inter notos coepi, nec in ignoto solo, in quo Famæ primitias mihi genui, scriptis non me apte audaciæ, sed amicorum consilio editis. Vidisse te opinor: utinam & probasse! Ferventis certè (cur excusem?) ingenii sunt, ne cdum defecati: quæ laudem omnem à conatu meo trahent; quod immaturior, & in peregrinatione emolitus sum. Etsi hæc ipsa in quietem patnè

pænè versa esset ; nisi valetudo aurem vellicasset , & propulisset ad iter . Itaque valetudinis causâ per vicina loca circumvectus , Patavium (à Perillustri lo . VINC. PINELLO humanissimè vocatus) concessi : cuius lare & consuetudine hactenus usus sum , cum magno studiorum meorum incremento . Nunc de profectio- ne cogitatio rediit , ad reliqua Italix loca : quæ videbo , iustrabo ; si me Deus servet . quem eundem precor , te , uxorem , liberosque servet . Patavii , Prid . Kal . Sept .

cc . 150 .

EPISTOLA XCIV. *Mediolani.*

JACOBO RESTÆ,

Viro Illustri.

Inter optimas Artes , Vir Illustris , ad ornatum ortas utilitatemque generis humani , principem locum Historiam obtainere facile mihi assentie- ris : tantóque præ ceteris litteris homini colendam & callendam , quantò ipse pænè homo cetera ad æ- mulationem vitæ creata antecellit . Quæ enim duo in homine eminent , hominémque Ratione & Orati- one pollentem constituunt , Anima , & Corpus ; illa ab æthere derivata , & à numine infusa ; hoc è terrâ sumptum , & humo compactum : duo inquam illa si- militudine quædam in Historiâ quoque invenio , Ré & Sermonem . Rem velut Animam : Sermonem velut Corpus . Hactenus verò Animam , ut nec menda- cio infecta , nec fabulis corrupta sit ; sed depurato halitu gratam Veritatem spiret : hactenus etjam Corpus , ut nullo Naturæ vitio imminutum , sed

O 3

membris

membris suis perfectum ; nullis nævis aut informibus notis aspersum ac lentiginosum, sed decoro pigmento commendabile, citra fucum. Itaque veritatis puritas, & Stili mundities in Historiâ requiruntur : utramque produco & amplius explicò, ut qui tādem Historici sint, & quī ipsi simus elucescat. Ut autem in imagine cœptâ persistam, Quemadmodum anni hominem variant, nunc viribus & mente vacuum, nunc formâ & ingenio venustum, nunc robore, & judicio instructum, mox senio & malæ ætatis merce gravatum : sic & Latinitatis gradus quidam, & secula fuerunt, quæ sermonem distinxerunt, nascientem & rudem, accrescentem, floridum, cadentem, & morientem. Prima illa tempora tanquā rudia, postrema tanquam imperfecta non prosequor : in mediis commendo Sallustii brevitatem, Livii gravitatem, Cæsaris nitorem, Taciti acumen, aliorum alias dotes ; sed omnium elegantiam ac puritatem. Pariter enim omnes non scripserunt, eleganter tamen. Pro exemplo autem omnes habendi, ut & ipsi nos eleganter. Pro exemplo ; ne Genium tamen naturāmque nostram negligamus : sic Genio ac naturæ indulgentes, ut exemplum habeamus : sic exemplo utentes, ut ipsi distinguamur. Vultum animus, animum sermo sequitur : vultu & animi inclinatione uti distinguimur, sic debemus sermone ; ut nitidè, non turgidè aut remissè : pure, non affectatè aut neglectè scribamus, sive loquamur. Nitidè igitur ac pure, & sic legēris. nam si horridus aut incultus es, negligēris. In epulis non solū nutrimentum, sed saporem quoque desideras : sic in Historiâ Lector non rem modò, sed sermo-

sermonem suavem & lepidè conditum. Inter spinas ac sentes, herbulas ad vitæ usum nemo colligit, si ea- rundem in culto & communi campo copia est: pa- riter qui exemplar morum Virtutisque à Majoribus petit, Scriptorem non stile asperum, sed amœnum sumit; ut nimis acriora illa præcepta Historiis in- spersa, dulcedine hac linguae temperata, facilius ad animum demittantur. Ego sic sentio: & ad Animam Historiæ transeo, Veritatē in quam ita curiosè & anxiè Veteres inquirebent, ut eos omnes, qui rebus gestis non interfuerint, nec scribenda ipsi vidissent, ab Historiæ sacris, tanquam profanos indignos- que, arcendos putaverint. haud aliter, quām olim Alexander imaginem suam (verba ferè Apuleii sunt) quō certior posteris proderetur, noluit à quo- vis artifice vulgo contaminari. Solus eam Polycle- tus ære duceret, solus Apelles coloribus delinquaret, solus Pyrgoteles cœlamine excuderet. Præter hos treis, si quis uspiam reperiretur aliis, imagini Re- gis manus admolitus, haud secus in eum, quām in sacrilegum vindicaturus. Magna igitur oculati Hi- storici necessitas: caussamque Isidorus reddit lib:

i. Originum cap. XL. Melius enim, inquit, oculis que sunt deprehendimus, quām ea que auditione colligimus. que enim videntur, sine mendacio proferuntur. Verè scriptum, & ad sententiam Comici præeuntis:

Pluris est oculatus testis unus, quām auriti decim.

Qui audiunt, audita dicunt; qui vident, planè sciunt.

Etjam plura? An in Menœchmis idem ille huc quo- que trahendus, tu vide:

Quin nos hinc domum redimus, nisi si Historiam scripturi- sumus.

sumus. Agellum luculentissimum scriptorem adjicio. is lib. v. cap. xviii. Historiam ab Annalibus quidam differre eò putant, quod cum utriusque sit rerum gestarum narratio; earum tamen propriè rerum sit Historia, quibus rebus gerendis interfuerit is, qui narret, eamque esse opinionem querundam Verrius Flaccus refert. Sed frustra testimoniiis uttor, cum ipsum nomen pro testimonio sit. Scribit Hildorus loco signato: Historia est narratio rei gestae, per quam ea quæ in præterito facta sunt dignoscantur. Dicta autem Græcè Historia ποδισοπᾶν, vel à videre, vel à cognoscere. Apud Veteres enim nemo Historiam scribebat, nisi qui interfuerit, & ea quæ scribenda essent, vidisset. Hæc ille: tu verò quid? Etjam cognoscere res gestas absens potest. Qui obsecro? è rumoribus? vani & incerti sunt: ex amicis? homines sunt: ex epistolis? res creperas conjecturis præfiniunt. Historicus ceu pictor esse debet: is siquem penicillo referre in tabulam vult, adstantis, sui que exemplar præbentis vultum eorā intuetur, alias, aut colorem non exprimat, aut frontem nimis attollat, aut oculos torqueat, aut labia laxet: sic Historicus absens in multis peccet, primùm inscitiam, mox libidine fingendi, & ad Poëtæ dicatum,

Tunc immensa cari spirant mendacia folles:
ut non Historiani, sed falsitatis quemdam centonem videas, quem sub acumine stili perire melius sit, quam imperitorum manibus teri; ne sub Historiæ titulo assensum palam inveniat, quod opinione veritatis typis donatur. Error enim scribentis, error multorum est, & privatim quisque credit, quod videt publicè scriptum. Etenim si falsa narramus, ea aut probitatis speciem, aut contrariam habent.

Si

Si illam , iniquum est nequitiz nova exempla fin-
gere , quasi vetera & vera desint: si hanc , turpe est
Honestatem Virtutemque mendacio inquinare . Vul-
pecula , uti in fabulis est , Statuarii officinam trāsiens
humani effigiem capit is conspexit , ac discedens , Bel-
lum caput , inquit , sed vacuum cerebro : pariter de Histo-
riā mendosā dixerim , ò bellam Historiam , sed fabel-
lam . Atque utinam fabellam ! merum mendaciū est ,
sine ullo probitatis fructu: mera improbitas est , men-
dacio substructa . Fabulae autem utilitatem suam ha-
bent: quarum aliae delectandi causā fieri , ut Comœ-
diæ: aliae ad naturas rerum inventæ , ut Poëticæ fierio-
nes: aliae ad mores hominum traductæ , ut AEsopicæ ,
& Libythicæ ; dum bruta inter se , aut cum brutis ho-
mines loquuntur . Quæ cō distinctius dico , ne audax
scribentis figmentum surreperere in aliquam partem
patiaris , aut Historiæ nomine spoliatum ad fabulas
confugere . M. Tullius quæ dixi , mihi complexus vi-
detur li . 11 . de Oratore: *Quis nescit primam esse Historiæ
legem , nequid falsi dicere audeat ; deinde nequid verè non au-
deat : nequa suspicio gratia sit in scribendo , nequa simultatis .*
*Hac scilicet fundamenta nota sunt omnibus . Ipsa autem ædifi-
catio posita est in Rebus & Verbis . Rerum ratio ordinem tem-
porum desiderat , regionum descriptionem : vult etiam , quo-
niā in rebus magnis memoriaq; dignis consilia primum , deinde
acta , postea eventus expectantur ; & de consiliis significari , quid
Scriptor , & in rebus gestis declarari non solum , quid actum aut
dictum sit , sed etiam quomodo : & cium de eventu queritur ,
ut causæ explicentur omnes , vel casus , vel sapientia , vel tem-
peritatis ; hominumq; ipsorum non res gestæ , sed etiam qui fa-
mā ac nomine excellunt , de cuiusque vitâ atque naturâ . Ver-
borum autem ratio , & genus orationis , fusum , atque tractum ,*

Vt cum lenitate quadam & quibilib⁹ proficiens, sine har⁹ iudiciali asperitate, & sine sententiarum forensium aculeis prosequendū est. Leges clarae, breves, cruditas, & ad quas nihil habeo quod addam? leges Cicerone dignas, quae eas scripserit, par autem parendi necessitas, qui intellexerit, & quale delictum, qui pertinaciter violari. Tanta enim efficitur culpa delinquentis, quanta est auctoritas leges coherētis, & rite conderētis. Animam separatim flesatis lustravi: nunc corpori eam reddo, & cum Sermone conjungo, ut viventem utrāq; parte, & spirātem Historiam habeas. Salve Illustris Vir.

H. x. Romana!

EPISTOLA XCV. ub: Romani.

SCIPIONI CAMPO V.N.

NVM te repperi? Vir Nobilis, & Roma es?

O quantum est hominum beatiorum,

Quid me laetius est beatius ve!

Sed vide quā so, num verum firmumque tui amorem conceperim, quem tantum intervallum, quo se juncti fuimus, adeo non fregit, ut auxerit, & Virtutis tuę quibusdam quasi fibris nixum roborarit: ideoque verum, quod roborarit sine ullo propere litterarum auxilio aut fomento. Nam vulgares Amicitiae, quā solius præsidii aut solatii gratia constant, similes tencrioribus herbis sunt, & levi aliquā aurā aduruntur ac pereunt; ut mehercules difficultius videatur conservare amicum quām facere, ni Virtute feceris. Alias locum illud Satyrici habet:

Grex agit in scena minimum, pater ille vocatur,

Filius hic, nomen dicitur ille tenet:

Mo x

- Mox ubi ridendas inclusit pagina partes,
- Vera redit facies, dis simulata perit.

Verus amor & bono semine natus immortalis est,
& omni Fortunā major. Virtute constat, Virtute cō-
servatur: beneficium, officium, studium, similesq; A-
micitiae delicias non exigit; sed nec spernit, ubi opus.
Sic tibi conjunctus sum & ero: sic te mihi esse, futu-
rumque cōfido: quem videre haveo, & video (Deus
faciat!) hoc Autumno. Vale

omnibus ē meis amicis

Antistes mibi nullibus recentis.

Patavii, Kalendis Sept. 1000. C. I.C.

EPISTOLA XCVI. Lupios.

OCTAVIO SCALFO, V.C.

Doctori Medico.

Quod anus illa apud Plautum, id ego hoc mu-
nere: & de paullo paullulum hoc tibi do; imò
verò exsolvo, quod debeo ex promisso: do ta-
men, tanquam non exolvam, ne debito coactus, sed
impulsus amore videar: et si ipsum quoque amorem
tibi debeam, qui sic effusè, sed & promptè me amas;
imò & honoras. Sic enim interpretor Amicitia mihi
tesseram relictam, & quid, nisi elogium à benevo-
lentiā natum? Perge porro me amare, non dicam ho-
norare; amare enim non poteris, nisi & honoras. Dēsi
precor, ut aliquando te videam & complectar; quod
fortassis hoc itinere meo fiet, quod paro in illa, aut
vicina loca. Interea vale. Patavii. iv. Kal. Octobr. 1
1000. C. C.

EPISTOLA XCVII. *Mechliniam.*

WIBRANDO AVSKEMÆ,

Veteri fido amico S. D.

FAT VIR tuU a meo ne sejunge aut dispara. Nam & mihi Patria lamentaria cit: quam etsi non video, audio tamen quotidie moveri, imo mori, nil absentiâ dolorem levante. Quæ videntur, animum percellunt vehementius; audimus tamen ea, quæ nec videntur. Sic Fama fallit,

Tam ficti pravij, tenax, quam inuicia Veri.

Omnino igitur particeps doloris tui sum: & cogit pietas esse. Doloris? imo lacrymarum. Menandri vera vox est:

Ωτηρ τὸ δένδρον τέσσαραν, τὸ δάκρυον.

Causam lacrymarum dolorem habemus: doloris, Patriam, ego, quia audio: tu, quia in confinio vides precipitis ruinæ. Sed quid agas?

Θεῶ μάχεσαι δεινόν εἰσιν χρήματα.
Et in re malâ, animus bonus, dimidium mali. Atræ illæ & aquosæ nubes, coactæ Deo volente ac jubente: idem, cum visum fuerit, pellet, & in serenitatem dabit Belgicam, Belgasque. In Italiâ quod pedem m'hi figere licuit, & sic figere, bono Deo gratiam; etiam vobis, qui fortunam hanc amatis, consilium probatis, & in vota itis, non latere. In miseriis solent optari socii: ego vero eo animo sum, ut qui felicitatis hujus æmulos patior, confortes, quam æmulos velim: æmulos, ut consortes habeam. Bonis enim in rebus bona æmulatio est, optima consortio. illa ad probitatem, hæc,

EBI

B

hæc, ad amorem pariter stimulus. Sed inter nos à puero Amicitia nata, cum annis incrementum roburq; sumpsit; & quæ jacunda olim, nunc formam vultumque mutavit, ut ipsi mutavimus; & in Honestam, ac pænè virilem transit. Quid noster anno olim in eodem domicilio alti, eadem in Scholâ docti sumus? Ab iisdem cibis corpore crevimus, ab iisdem litteris animo: pænè iidem sumus. Itaque de amore ne dubita: vivus ille & firmus erga te fuit, eritq; semper. Non apparuit hactenus? quid tū? novæ ita herbae, quas Natalis hæc Hora fundit, hieme ubi fuerūt? in radicibus sub terrâ: sic amicitia nostra. Sub silentii quodam velo, quod revelo, ut benignam favoris litterarumque tuarum auram excipiat, ad uberem & maturum fructum. Vale mi amice, & uxori (felix vinculum sit!) salutem à me reddie. Mediolani, Postrid. Kal. Maii. 1501.

EPISTOLA XCVIII. Patavium.

ALEXANDRO VEGONTIAE

Medico Patavino S.D.

VEROS amicos, quoque non è turba colo, aut onero litteris, si scribendi otium est: aut penitus privo, si non est; quorum illud calidi amoris signum, hoc fiduciae est amoris; ut scribendo amorem ostendamus; silendo autem amore utamur, quod amore magis est. Itaque hactenus silui, id est, verum amicum te habui, negotiorum quibusdam nubeculis velut involutus: quas nunc pello, & rectis ac urentibus radiis amore commonstro, rectum ac urente. Tu mutuū, & vale. Mediolani, Postrid. Eid. Dec. 1501.

EPISTOLA XCIX. Florentiam.

I O A N . W O V W E R E N O S . a m i c i s s i m a m D .

OGRATIAM Epistolam tuam Eruditissime Vir,
 & suaviter & amanter ad me scriptam in quâ
 denuo te video, ut ille illam apud Plautum, quæ
 in cerâ cubat. Te, & nimiâ modestiam, quâ non mi-
 nus crucior, quâm recreor. Recreor, quòd pulcherri-
 mo isto Virtutum ornamento uteris : crucior, quòd
 apud me. Itaque ne te vela, aut nube verescundâ ver-
 borum sindone : nudum & liberum tuum animum
 volo. Ais, denuo te experiri vires humanitatis meæ,
 jam abunde per te fatigatas. imò (vin' dicam?) ne
 tentatas quidem. Liberè, liberè : valde inhumanus,
 atque adeò injurius ego tibi, imò & mihi ipsi, nisi ho-
 nestissimam petitionem tuam officio prævertam, he-
 dum assensu subsequar. Injurius mihi, à quo serio &
 amicè amaris: tibi, qui dignus es amari, non dicam
 Patriæ, & Generis causâ, sed Doctrinæ, atque Famæ.
 Ego certè feci: & partem felicitatis meæ censui, quòd
 te noverim, viderim, in Muséum excepimus; ad cuius
 conspectu & sermones ipsæ meæ Musæ excitatae sunt,
 in veterno quodam cubantes. Quid dicam? cum fru-
 etu te habui, cum dolore dimisi. Nec enim mihi
 torsit desiderium abeuntis, quâm recreavit casus ad-
 venientis. Casus certè fuit: & sine VANDERMYLO
 nostro fuisset, qui nomenclator existit, ignotus ab-
 illes. Illi igitur & gratiam débeo & habeo, cui scri-
 ptorum, quæ petis, usum promptissime concedam;
 hoc in primis nomine, quia petis. In Bathylli statuâ
 lepidè me docuisti. Nunc correctiunculam in eodem
 Lucio

Lucio vide, ubi hic locus non satis lucebat, lib. ix. Dicitur
 Asino! Fruere exitio totius nostra familiæ, & sanguine trium
 fratrum insatiabilis tuam crudelitatem pasce, & de prostra-
 tis raisi cibis gloriosè triumphandum. Itas licet privato
 suis possessionibus paupere, fines usque & usque protermina-
 rueris, habitum te tamen vicinum aliquem. Videtur enim
 legendum esse: gloriosè triumpha; dum scias (licet privato
 suis possessionibus paupere, fines usq; & usque protermina-
 ris) habitum te tamen vicinum aliquem. Vale & me a-
 ma, quite ex animo. Patavii, Prid. Non. Nov. 1500.

EPISTOLA C. Patavium.

LAURENTIO PIGNORIO S. D.

PHALLOS accepi, gratum & eruditum munus;
 quo devinctum me esse libens profiteor, velut
 ipso fascino captus. Cur autem siluerim? fiduciâ
 quadam amoris tui in me, quam ne extédam ampli-
 us, silentium ecce ejuro, & Locutulejus fio: frequen-
 tiâ tamen magis, quam copiâ. Nam ut valetudinem
 servat sacerdos pius esse, sed omnino famam non tollere:
 sic Amicitiam, sacerdos scribere, sed omnino deside-
 rium non explere. Iamdiu est, quod in ære publico
 Litterarum es: & hoc iniquior, quod solvendo. Qua-
 re agè agnosce nomen, & in PIGNVS argenteum il-
 lum Neronis numimum confer; cuius estimationem
 pretiumque arbitrio tuo publicè recipiemus. Quod
 præjudicium meum exquiris, dabo; amicè etiam ma-
 gis, quam prudenter. Nec enim ignoro, quam post
 accuratissimam tuam operam meâ operâ frustra ero,
 non dicâ juvâdo, sed monendo. Sic igitur schedas tuas
 videro, sed ut videam, & amicorum more prægu-
 stem. PANEGYRICVM meum (sic enim inscripsi) ad

Per illustrem PINELLVM misi: & ad te, nisi oneri sim, mittam, imò etsi ero. Intercalendum ab illo Mæcenate nostro accipies; ut & illi cui legant. Sed te rogo intimum judicium tuum, illorumque, ne me cœles. CONTARENVM tuum, imò meum ex me saluta; cui adjungo lo. TOLLIVM, virum naturā optimum, in Musicā, quam amo, summum.

CLAVSULA

AD LECTOREM.

PAX Legibus Sumptuariis sit: ipsam PROMVL SIDEM Centenariam feci, sed numero, non aere: & copiosor, non dicam splendidior, fui in illicio hoc Cœne; ut tu Lector, si ve Cœnipesta, pleno irritamento lassus, robustiorem cibum, & post Multum Liberi leporem poscas: quem ponam: ut Horatius ait,

Horna dulci vina promens dolio.

Horna inquam. Epistola enim quanto recentiores, tanto meliores sunt: nec in annos conduntur; sed ad usum atque rem præsentem. Sic bene tibi sit, mi amice LECTOR.

FINIS.

